TIS
51556/B

E. xvi. m. 39,

S. A. D. TISSOT

MEDICIN. DOCTORIS

DISSERTATIO

DE

FEBRIBUS BILIOSIS;

SEU

HISTORIA

EPIDEMIÆ BILIOSÆ

LAUSANNENSIS, AN. MDCCLV.

ACCEDIT

TENTAMEN DE MORBIS EX MANUSTUPRATIONE.

Appello veritatem ipſamque naturam Medicorum Numina in perpetuum colenda. BENNET.

VENETIIS, MDCCLXI.
APUD ANTONIUM PERLINI,
SUPERIORUM PERMISSU.

B. Luigi Langrandi

55350

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

VIRO NOBILISSIMO CELEBERRIMO

FRANCISCO BOISSIER

DE SAUVAGES,

Regis Conſiliario, ac Medico, Medicinæ & Botanices Profeſſori Regio, nec non Academiæ Regiæ Scientiarum Monſpelienſis, Upſalienſis, Londinenſis, Stocholmiæ, Phyſico-Botanicæ, Florentinæ, Berolinenſis, Naturæ Curioſorum, Inſtituti Bononienſis Socio,

S. A. D. TISSOT.

HÆc eſt tua celebritas ut de alia munuſculi cauſa nemo ſiſcitaretur; ſed & dulcioribus te adloquor titulis; ut humanum enim, urbanum, obſequioſum, lepidum taceam hoſpitem non ingratus tamen; venerabundus quotidie recordor doctum ſemper & moleſto ſæpe juveni nunquam moroſum præceptorem, quem amicum nunc colere in æternum jucundum erit. Diſſentimur circa theoremata nonnulla, cur diffiterer, qui numquam inde tuam authoritatem multi habere dediſcam; & quid interce-

§ 2 *dit*

dit diffidentiæ de doctrina cum animæ affectibus? Firmiter tuæ menti infixum eſt Maronis *effatum*

Mens agitat molem.

Militor cum Lucretio

Truncus, adempta anima circum, membriſque remotis,
Vivit, & ætherias vitaleis ſuſcipit auras.

Perennis motus cordis cauſam credis eſſe animam; adduci ut aſſentirer nondum potui, & quando poterit quem non adduxerunt amica colloquia, publicæ diſputationes, quæ promulgaſti lecta relectaque opera & docti illi codices benevole mihi crediti, quos publici olim juris faciam, ſi de Natura ſcribere ut animus eſt aliis liceat negotiis. Plures pro anima ſcripſerunt & non infimæ quidem notæ; palmam tibi præripientem non novi; tuis ergo intentus argumentis illa qua potero diligentia perpendam, felix, ſi tanto operi me non prorſus imparem judices; felicior ſi quondam te recenſere daretur in cam-

pis

pis quæ tot premunt viri magnæ famæ & quos ſane magni facis. Nec jucundam citius abjiciam ſpem. Non conabor enim illa adſtruere ſiſtemata quæ penitus diruiſti; futilia tecum omnia habeo ut ut ingenio ſæpe fulgentia; legibus vulgaris mechanicæ numquam explicabitur circulatorius ſanguinis motus. Sed nova exponam, vim illam viventibus ſpecialem, calculis ſe ſubducentem, quam, obſcure ſuboluit antiquitas, noviſſe videntur Angli nonnulli elapſo ſæculo, palam demonſtrarunt Hallerus *& conjunctiſſimus* Zimmermannus, *tuentur* Albinus *&* Gaubius. *Hæc eſt mea fiducia, tibi ante omnia amica veritas, illam dilucidare ſi mihi detur tuum ſane non deerit ſuffragium; ſi celeſtibus deludar facibus & nubem loco Junonis amplectar, quis præ te errorés monſtrabit? Poteris enim, & qua es erga me benevolentia certe voles. Monſtrabis, enixe rogo, quos in hiſce Diſſertatiunculis ſubrepſiſſe metus eſt. Illas tibi dicare æquum fuit, qui judicares numquid profecerim in arte quam ante decennium docuiſti; gratum erit, ſi pagellas*

qualeſcumque, tanquam venerationis, amicitiæ & devotionis pignus accipere non dedigneris.

Vive vir Illuſtris, pulchrum opus de claſſibus morborum poſteris a Boerhaavio *commendatum ditaturus, aliaque confecturus, ægris, liberis, amicis, doctis carus; vive, vale & quod tam abunde hucuſque feciſti, me amare pergas.*

Dabam Lauſannis Helvetorum 2. *Jan. anni* 1758.

PROE-

PROEMIUM.

TIbi ſiſto, benevole Lector, fidelem hiſtoriam morbi ſævi & tædioſi e putridorum genere, *Lauſannis Helvetorum* anno præſertim 1755. epidemice graſſantis; de propoſiti utilitate diſſerere contumelia tibi foret; de via vero cui inceſſi, nonnulla præfanda veniunt.

Qui nudas texit hiſtorias & ſimpliciter narrat, ſua dignus eſt laude, ſed operarius materias colligit artifice ordinandas: ex congeſtis enim epide-

miarum obſervationibus, condit Medicus rationalis canones practicos huic illive generi morborum congruentes. Simplex narratio nihil tironem docet; niſi ubi eadem ſimptomata occurrunt, & quando occurrunt? Sic ergo opus contexere nixus ſum, ut, non modo morbum noſtro ſimillimum, ſed omnia putrida gaſtrica curandi viam præmonſtraret; experientia, ratione & authoritate ubique fretus; inde Opuſculi titulus.

Ratione & experientia nullum carere poteſt opus medicum, authoritates forſan numeroſiores invenient illi qui lectioni nullatenus addicti, lectionem ſeſe purgaturi damnant; illis vero numquam aſſentiar. Infelix qui propriis tantum ſapit experimentis. Quid, majoribus noſtris doceri recuſaremus? Talis abſit error; quorſum enim tendit! Edoctus aliena ſapientia, præceptores excitare dedecorum non duxi. Major inde doctrinæ authoritas, & major ſæpe operi concinnitas; ſic enim verba magnorum virorum ordinare ſtudui, ut

meis

meis omiſſis , quod dicendum fuit elegantiori proferant ſtilo . Nihil medicinæ certitudinem firmius aſtruit , nihil magis omne dubium circa gerenda tollit , quam mira illa conſonantia inter celeberrimos omnium gentium & ætatum Medicos ; utile ergo credidi ſi fideli obſervatorum & geſtorum narrationi , rationes adderentur quibus motus hoc egi , id cavi.

E priſcis citationes , carpent ii qui illorum opera nunquam evolventes , hic cœcam idololatriam potiuſquam perſpicacem venerationem incuſant . Fateor , non tanti quanti plures alii veterum authoritates facio & lubenter aſſentior ſententiæ Ill. *Maty* (†) quem inter amicos recenſere gaudeo & glorior,

(†) *Il eſt à craindre que le fruit que l' on peut retirer de pluſieurs de ces Ouvrages , ne ſoit peu proportionnè au temps que l' on met à les lire ; d' ailleurs un jeune homme court riſque de ne pas faire un bon choix, & peut-etre de s' embrouiller plus que de s' eclairer l' eſprit .* Eſſai ſur le caractete du grand Medecin, ou Eloge critique de Mr. *Boerhaave pag.* 25. Opuſculum lectu digniſſimum.

or, ſed exceptos velim *Celſum*, *Areteum*, nonnullos *Galeni* libros, *Alexandrum Trallianum*, & imprimis *Hypocratem* quem præ omnibus Medicis adamo, & omnibus aliis frequentius excitavi; *ſi enim ab uno diſceſſeris Hypocrate, quis illi par?*

Lectorem Medicum ubique ſuppono & noſcenda noſcentem, nec fui ex illis qui bellum Trojanum ex ovo Ledæ repetunt; nihil magis tædioſum enim novi quam in omnibus libris obvia elementa offendere, nihil noxium magis, ſic enim trita volvendo, aureum teritur tempus. Raro nec niſi coactus theoretica adduxi, obſervationes ſpeciales plures congeſſi quæ momentoſæ videbantur, nec alibi melius collocandæ.

Alium ordinem quis forſan deſideraſſet, ſed omnibus perpenſis, commodiorem non inveni. De remediis nonnullis quæ non adhibui diſſerere placuit, clari ſiquidem aliunde viri illa in morbis noſtri generis ſuadent, de abuſu ergo præmonendum fuit. Lugendum

ſa-

ſane , quod ob confuſionem nomenclaturæ medicæ , eodem nomine diverſi deſcribantur morbi, unde fons errorum. 2. Quod ſæpe de praxi ſcripſerint viri medice quidem docti, ne minimum vero clinici . 3. Quod plures alii hypotheſi addicti , ex hypotheſi medentes , hypotheſi obcœcati , integra fide , cauſas morborum , & remediorum vires alias obſervaverint & poſteris tradiderint quam fuerunt revera . Inde neceſſe fuit viros venerandos errore quandoque culpare. Hic verbo ſcopus quæ obſervavi narrare , & pro norma veri habere quod docuit numquam falens Natura vel optimorum conſenſus : falſa , valde dubia ſaltem credidi quæ commendat bonus cæteroquin , ſi reluctet Natura , aliter viderint boni plures , aut contra ſuadeant demonſtrata axiomata. Cum naſcebatur medicina , pauciſſimis conſtans obſervationibus omni alio duce carebat , & ſpeciales obſervationes ſæpe mancæ ſæpe fallunt ; lapſu vero temporum innumeris congeſtis, illas comparando , inde canones deduxerunt

runt viri ingenio & doctrina pollentes, qui vera ſunt Elementa medicinæ, & lapis lidius cui allini debent poſteriores ut imperfectæ a perfectioribus diſtinguantur. Ex hujus cautelæ neglectu innumera mala; mutilæ enim abundant, quibus credentes nimis homines principiis artis prorſus ignari, vitioſaque ducti inductione, & externa deluſi ſimilitudine inter morbos toto cœlo varios, plures orco & tradiderunt & quotidie tradunt.

Formulas non addidi, paucas & ſimpliciſſimas adhibui, omniſque Medicus cauſam morbi & vim remediorum tenens, optimam in ſingulo caſu citiſſime inveniet; nec deſunt præterea jam dudum concinnatæ, a viris in arte principibus *Boerhaavio*, *Gortero*, *&* *Gaubio*.

Dictioni deerunt *Rhetorum flores & verborum lenocinia*, quo enim? Facilitatem colui, phaleratas miſi voces, nævos vitare ſtudui; plures forſan ſubrepſerunt, venia fatenti. Integrum ſubjicio opus non innumeræ judicantium

tur-

turbæ, ſed compendioſæ judicum familiæ; ſi probent, grandiora forſan meditabor de Natura medice conſiderata, & variolis. Vale & fave.

INDEX ARTICULORUM.

Conſtitutio aeris. pag. 1
Hiſtoria morbi. 3
Genus & cauſa morbi. 11
Cadaver. 16
Methodus medendi, ſtatus primus. 19
- - - - - - - - - - *ſtatus ſecundus.* 31
- - - - - - - - - - *ſtatus tertius.* 42
Diæta ægri. 53
Recidivæ. 59
Sequelæ morbi, metaſtaſis. 60
Reliquiæ ex obſtructis viſceribus. 63
Reliquiæ ex debilitate. 73
Simptomatum curatio. 82
De Venæ ſectione in febribus bilioſis. 87
Abſorbentium conſideratio. 113
Sudorifera, diuretica. 114
Cardiaca. 118
Narcotica. 119
Præſervatio. 122
Canones practici. 123
De morbis ex manuſtupratione. 131

Sim-

Simptomata. 133
Ætiologia. 148
Pollutiones nocturnæ. 178
Gonorrhea ſimplex. 184
Silva monitionum. 186

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. *F. Gio: Paolo Zapparella* Inquiſitor General del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato *S. A. D. Tiſſot Medicinæ Doctoris diſſertatio de Febribus Bilioſis &c. Accedit tentamen de Morbis ex manuſtupratione &c.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi concediamo Licenza ad *Antonio Perlini* Stampator *di Venezia*, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 17. *Novembre* 1759.

(
(Angelo Contarini Proc. Reff.
(Franceſco Moroſini 2. Cav. Proc. Reff.

Regiſtrato in Libro a Carte 27. al N. 156.

Gio: Girolamo Zuccato Segret.

Adi 11. Decembre 1759.
Regiſtrato nel Magiſtrato Eccell. degli Eſſecutori contro la Beſtemmia.

Gio: Pietro Dolfin Segret.

HIS-

HISTORIA
FEBRIS EPIDEMICÆ
BILIOSÆ LAUSANNENSIS
Anni 1755.

Conſtitutio aeris.

FErventi æſtati anni 1754, ſucceſſit calidus autumnus, quem excepit hiemis initium perpetuis aut imbribus aut nebulis inquinatum & tempeſtate tepida. Res ſic ſteterunt ad tertiam uſque diem anni ſubſequentis, qua ſubito ingruit rigidum illud frigus, quod jam quinta & ſexta Januarii tam acriter tota fere Europa ſæviit, ut parum infra abeſſet a celebratiſſimo illo & adhucdum irreparato gelu anni 1709. Sæviſſimum ad decimam quartam uſque ejuſdem menſis, tunc remiſit quidem, gelu continuo tamen vigente ad viceſimam Februarii. Imbroſus Mars; adeo fervens Aprilis quod rariſſimum in noſtris regionibus, ut tunc temporis variolarum cura-

tioni incumbens, novum cubiculis undiquaque aerem conciliare, & tabulata aqua frigida continuo madefacere cogerer. Initio Maii flante borea acre recruduit frigus, germinantibus foliis & floribus infeſtum. Inconſtans toto illo menſe tempeſtas; ineunte vero Junio ortus calor fervens ad viceſimam tertiam Julii duravit.

Hiemali frigore perditis oleribus quæ in cellis collecta fuerant, copioſior fuit uſus diætæ animalis quam aliis annis. Urbs tali conſtructa modo ut tempeſtatum vi ſummopere faveat.

Qui œconomiæ animalis, & effectuum tum aeris tum ciborum in humanam machinam, leges non neſcit, tria ex præmiſſis derivata fuiſſe facillime intelliget, 1. diſpoſitionem humorum ad putredinem, 2. tranſpirationem turbatam & impeditam, 3. regreſſum materiæ acris putridæ ad primas vias & ſic præpeditas gaſtricas excretiones; ibi ergo congeſtus fuit putris fomes, qui æſtivis motus caloribus epidemiam illam generavit febrilem, quæ tam univerſaliter hic graſſata eſt, ut vix quarta pars familiarum immunis fuerit; & in pluribus domibus duo, tres, imo & ſex ſimul decumbebant ægri (*a*).

In

(*a*) Circa generationem morborum ex aere, quam hic fuſius deducere ineptum foret, egregia habent inter plures alios *Hypocrates* de aere aquis & locis, de humoribus, Aphor. l. 3. in epidemicis paſſim. Acta Medicor. Edimburg. Acta Academ. Pariſin. ab ann. 1746. cura Clar. *Duhamel* & *Malouin* Cl. *Burton on non naturals*. Ill. *F. Hofmann* in obſervation. barometr. meteorolog. in pathol. p. 3. c. 7. & paſſim alibi. *Nihil*, ait, *magis bilem vitiat, eamque impuram & ſalibus cauſticis refertam reddit, quam ſolemnis per ſuperficiem corporis prohibita evacuatio. Quandocumque igitur talis bilis cauſtica in primis viis exiſtit, horrorem, anxietates, vomitus & motus febriles parit.* De bile medic. & venen. corp. hum. §. 31. t. 6. p. 159. Præ omnibus Aero Ill. *Huxam* in libro *de aere & morbis epidemicis*.

In omnes eadem vi non ſæviebat morbus; ſed in omnibus ejuſdem generis illum eſſe, teſtabantur ſigna ubique invenienda, putridæ cacochiliæ ſiſtema digeſtivum gravantis & laceſſentis. In tres claſses quoad vim ſatis accurate dividi poteſt. Prima periculum nullum portendebat, niſi neglecta in chronicum degeneraret morbum. Secunda ut ut periculi non expers nemini tamen quantum novi funeſta, niſi quando ex perverſa aut nulla medela, in tertiam mutabatur. Tertia parum, Deo dante, numeroſa, ſed ſemper valde ominoſa, & nonnullis funeſta.

Hiſtoria Morbi.

Prioris claſſis ægri conquerebantur primum de gravitate, laſſitudine, debilitate, carebaria, cibi faſtidio, frigoris moleſta ſenſatione fere continua, ita ut ardente ſyrio culinares focos gaudentes adirent; ſomnolentia abſque ſomno: os mucoſum erat, lingua, ſedimento albo-flaveſcente tenaci ſordida. Tribus vel quatuor elapſis diebus, tardius aliquando, circa veſperam horror invadebat, per horam unam aut alteram quandoque diutius vexans; ſuccedebat calor non vehemens quidem, ſed moleſtus, mordax, medici digitos acriter calefaciens, in nonnullis ad craſtinam uſque auroram perdurans, & tunc ſenſim ſine ulla evacuatione ſenſibili deſinens; in aliis poſt aliquot horas erumpebat quidem parcus ſudor, profuſum enim videre non contigit, ſed qui neutiquam adducebat placidam illam quietudinem quæ excipit ſudores febrium vere intermittentium. De capite frequentes tempore paroxiſmi, de reſpiratione nullas audivi querelas. Primis diebus pulſus a naturali vix niſi debilitate diſcedens, horroris tempore minimus, calore vigente ce-

ler, contractus, frequens inveniebatur, nec ultra centies tamen minuto primo in femina adulta pulſans (*b*). Paroxiſmo victo in eodem illo languoris ſtatu quem jam deſcripſi remanebant ægri, e lecto quidem ſurgentes, omnibus vero muneribus impares, torpidi, inertes, e ſedili ad lectum, e lecto ad focum ſeſe tranantes, nec niſi renuendo ambulantes. Paroxiſmus quotidie redibat, ſæpe vero a prima hora aberrans, nec ſibi ſemper omni puncto ſimilis: imo non defuerunt qui omni periodo abjurata, ſæpius de die horrebant & calebant; novi plures in quibus exacerbationem vix ſuſpicari poteram, niſi paulo majori anxietate & debilitate ſub veſperam, ſed continuo premebantur languore, nec citius cæteris ſanabantur. Fuerunt alii e ſeneſcentibus fœminis præſertim, qui præter debilitatem, faſtidium & agrypniam vix quicquam querebantur. Quidam ventriculi dolorem dolebant; & quod omnibus comune fuit, non ante aliquot hebdomades convaleſcebant. Cum deeſsent ſimptomata vehementia quæ citum medici arceſſitum cogerent, plures primum inviſens vidi qui jam a quindecim laborabant diebus, immutatis fere ſimptomatibus, niſi quod calor & debilitas increverant jamque febris lentæ metum inducebant. Morbi initio alvus adſtricta remanebat, ſub finem paulo laxior; lotium apyrexiæ tempore tenue, crudum, paroxiſmi vi paulo rubrius reddebatur, vertente morbo coctum & ſedimentoſum fiebat; pauciſſimos qui multum ſitirent inveni. Pueri, fœminæ, ſenes hanc imprimis conſtituebant claſsem, rariſſime viri. Secunda ſenibus pepercit.

(*b*) Egregias obſervationes de pulſuum numero tempore dato in homine ſano & februenti promulgavit Illuſt. *Haller* in aureo opuſculo de motu ſanguinis, *Memoir. ſur le mouv. du ſang* Chap. 8. 36.

cit. Tertia ſolos juvenes, ætate florente a tertio ad octavum luſtrum aggreſsa eſt, & vegetiores fere ſuſtulit (*c*).

Secundi ſtatus initium, initio prioris haud multum diſſimile erat; ſed poſt aliquot dies omnia acerbiora fiebant, debilitas increſcebat, locum faſtidii nauſea occupabat, rari tamen ſpontanei vomitus; calor acrior, vehementiores paroxiſmi; primis ineuntibus horrebant quidem ſed leviter, ſequentibus verum vix aliquod percipiebatur frigus; ſed ſenſim, plerumque ſub veſperam calor intenſior evadebat, frequentius vibrabat arteria, & illam explorans centum & ſexdecim pulſationes ſingulo minuto in quibuſdam ſubjectis numerare potui. Acutiſſimis cephalalgiis eodem tempore plures premebantur ægri. Poſt tres quatuor vel quinque horas remittebat febris, &, ut in primo ſtatu, aliquoties ſine ſudore. Nec valde deſiderandi ſudores, ſuperato enim morbo proderant, vigente vero, tum in hoc tum in tertio ſtatu nocebant; quo profuſius enim fluebant, eo acerbior futurus paroxiſmus. Ad integram apyrexiam non redibat æger, & hoc fuit pathognomonicum ſimptoma quo ſecundum ſtatum a primo diſtinguere lubuit. Urina pauca, tenuis, rubida; ſedes ſpontaneæ paucæ & parcæ; lingua arida flavo obducta muco: ſomnus fere nullus, turbulentus, anxius, ægros nihil reficiens; ſitis magis urgebat quam in ſtatu primo, nec tanta tamen quam ex calore ſuſpicatus fuiſsem; marcor cito ingruebat, cum facie pallido flava. A norma minus aberrabant paroxiſmi quam in ſtatu primo. Ex prava medela

 faci-

(*c*) Tale quid *Hypocrati* prætervifum non fuerat, epidemiam enim obſervavit in qua, *ex ægris præcipue interibant adoleſcentes, iuvenes ætate florentes*. Epidem. lib. prim. ſtat. tert. *Foeſius* p. 955.

facilis in tertium ſtatum tranſitus: talem metamorphoſim notatu dignam in textore & conjugi fremens obſervavi. Illorum filia puella decennalis, eodem laboraverat morbo: adurente calore, pulſu frequentiſſimo & celerrimo, atroci capitis dolore tempore exacerbationis, & ſomnolentia vigili tempore remiſſionis detenta: potione emetocathartica, uſu diluentium aceſcentium & ſecunda alvi ductione jam convaleſcebat cum decubuit pater, quem accedens haud graviter ſane ægrotantem inveni; medicamentum quod ventriculum & alvum moveret præſcripſi, & ptiſannam antiputridam cujus unc. IV. omni hora noctu diuque potaret. Tunc urbem reliqui ut dilectiſſimam matrem febre nervoſa correptam inviſerem; poſt triduum redux, illum inveni delirantem, anhelum, convulſum cum abdomine tympanitico, pulſuque frequentiſſimo; nullæ nec ſede nec urethra ſuccedebant evacuationes. Caſu animadverſo potionem ſuper tabellam lectulo appenſam, illam inſpiciens agnoſco remedium emeticum ante quatuor dies præſcriptum, de omiſſionis cauſa ſciſcitanti narratur, adſtantes nimis debilem judicaſſe ægrum cui propinarent evacuans remedium; remotoque pariter potu acidulo, virium indicationi famulari credentes, bovinis ſucculentis juſculis, dulciariis panibus ex farina ovis & ſaccaro confectis, generoſo vino rubro, & ſcopo ſudores arceſſendi, theriaca cum ſcordii decocto, renuentem ut ut ægrum ingurgitaverant: inde cohors illa ſæviorum ſimptomatum quæ vix ullam relinquebant ſpem. Ne tamen ægrum letho deſerere viderer, enemata emollientia & leniſſime cathartica omni ſexhorio applicari juſſi; potum ejuſdem indolis & aceſcentem copioſe hauriendum præſcripſi & ſimul epiſpaſtica plantæ pedum imponi. Nocte ſequenti

mens

mens pacatior fiebat, ter alvum depoſuit, copioſe prodiit urina, aliqua fulget ſpes; eorumdem remediorum continuationem jubeo, iterum diſcedere coactus; ſed quid? Vires (phreneſim potius) cum febre deciduas reſarcire conantes agnati, remedia denuo ſeponunt ut ex Pharmacopola didici, & ad neſcio quæ venena ſpecioſo cardiacorum titulo fucata confugientes, ſeptima morbi die ſæva necarunt morte infelicem, grandiori natum ætati ſi omni deſtitutus fuiſſet auxilio; haud diſſimili fato abrepta uxor vix triduum ſupervixit. Et hæc altera origo tertii ſtatus, qui alias tamen morbus ſuæ ſpeciei eſſe videbatur: plures enim fuerunt qui ut ut optima jam initio morbi remedia adhiberentur, & ægritudo illorum uſu compeſci videretur, ſexta tamen, ſeptima vel octava die omnia ſimptomata ſeviora incurrebant. Quem veſpera cum ſpe mitioris paroxiſmi reliqueram, ſæpe inveni aurora ſequenti poſt acerbam noctem periculoſe jam decumbentem cum pulſu frequenti & celerrimo, incipiente delirio & tympanitico abdominis tumore, quæ duo ſigna tertium ſtatum vix ullum amplius ordinem ſervabant exacerbationes, ſed irregulariter omni hora invadebant, pulſus adeo increbreſcebat ut vix numerari poſſent pulſationes, omnes ſubſultabant tendines, anxietas & jactatio continuæ erant, oculi torvi nictitantes lemoſi: delirium increſcens in nonnullis vividum, fere phreneticum erat, in aliis pacatius lethargumque ſubolens, ubique periculoſum: In primis garrulitas fere continua, in aliis moroſa taciturnitas & de morbo ne minima querela, ut ut manus frequenter fronti admota ſatis teſtaretur acerbam adeſſe cephalalgiam; Medicum quomodo valerent ſciſcitantem fixiter intuentes, elatiori voce re-

ſpondebant *optime* (*d*): neceſſarios ignorabant; meteoriſmus quotidie increſcebat præſertim circa hypocondria (*e*): reſpiratio breviſſima fiebat, ita ut continuo fere anhelarent, tuſſim raro obſervavi. Sedes irregulares, liquidæ, pingues, colliquativæ, aliquoties bilioſæ quod bonum, ſæpe albæ ſpumoſæ quæ ſemper ſiniſtri ominis (*f*), materiæ enim morbidæ retentionem

(*d*) Quam periculoſum ſit delirium illud circa proprium morbum, omni ævo notarunt Medici; cerebrum enim prorſus occupatum omnemque ſenſationem depravatam arguit; notatu digna videntur verba præſtantis Medici quem de ſollicitatione operis hic ſollicitare liceat: *Si reduit à cet etat* (qualem fere deſcripſi) *le malade dit*, Je me porte bien, *tremblons à ce ſeul mot, il n'eſt plus à lui*. Medec. experiment. Part. I. Ch. V. p. 123.

(*e*) A flatibus ex putredine generatis ortum trahebat meteoriſmus ille, non ex inflammatione ut falſo crederent nonnulli, quod jam novit *Galenus Quandoque intenduntur ilia ſine inflammatione proprie nominata*. Commentar. in prænotiones text. 30. oper. ex Frobenii editione t. 4. p. 751. Quam ſpeciem meteoriſmi accurate obſervari velim, ne protinus ad V. S. & emollientia antiphlogiſtica, ſpe abſentem inflammationem debellandi, confugiamus. Quantum vero periculum comitetur ilia tenſa ex quacumque cauſa docet *Hypocrates* ib. §. 33. & 61. prorretic. L. I. §. 127. Ventres qui atolluntur in morbis periculoſis, recenſet inter ſigna mortis. L. 8. aph. 17.

(*f*) *In gravibus malis & bilioſis, exacte candidantes, ſpumoſæ egeſtiones malo ſunt Hypocr.* prorret. L. I. §. 53. Foeſ. p. 71. ibid. §. 21. Conferr. debet Illuſtriſ. *Gorteri* Medicina Hypocrat. comment. in aph. 355. & *Celſus* habet locum qui hic optime congruit: *Inteſtinorum levitas periculoſa eſt, ſi frequens dejectio eſt; ſi venter omnibus horis & cum ſono & ſine hoc profluit; ſi ſi-*

tionem & motus inteſtinalis ſpaſmodicum vitium demonſtrabant. Quoſdam, paucos tamen jam ab initio morbi corripuit diarrhæa, nec melius res ſuccedebant, imo vidi fœminam juvenem vegetam lethaliter decumbentem, quæ ut retulerunt, jam duos menſes ante morbum ſeroſo alvi fluxu laboraverat; & quid prodeſſent evacuationes quæ morbidum fomitem non evacuant? In genere noxia diarrhæa quæ initio morbi accidebat, ſimptomatica enim ſemper fuit, & licet ſi valde fœtida intactam cauſam morbi relinquebat; inde auctis evacuationibus illis, cum ſtupore adſtantium, increſcebat morbus (*g*). Urinæ ſemper crudæ, quoad cætera quotidie diſſimiles, albæ, tenues, pingues, (*h*) turbidæ, jumentoſæ, rubræ, colliquativæ, ſi nubes, ſupernam ſemper occupabat partem quod odit *Hypocrates* (*i*). Ob ſphincteres paraliticos & captam mentem, inſcientibus involuntariæ evacuationes; in quinque petechiæ, omnibus lethales (*k*); hæmorrhagiæ nullæ aut funeſtæ, ſitis

ſi ſimiliter noctu & interdiu; ſi quod excernitur crudum eſt. De Medicin. L. II. Cap. VIII. p. 74. legatur quoque *Proſper Martianus*, p. 345. E.

(*g*) De damnis egeſtionum fœtidarum quæ morbi materiem non abducunt, egregia habet *Hypocrates* de humor. §. 14. 31. Foeſ. 47. 48. Aphor. L. I. §. 2. 25. L. IV. §. 2. 3. Obſervavit quoque Clar. *Walcanrenghi* in febre bilioſo-petechiali diarrhæam initio funeſtam, ſub finem ſalubrem fuiſſe. Medicin. Ration. Tom. I. §. 267.

(*h*) *Pinguedines ſupra innatantes aranearum telas referentes damnare oportet, colliquationem namque ſignificant*. Prænot. §. 79. Foeſ. p. 40.

(*i*) Ibid. §. 80. & alibi paſſim.

(*k*) *Ubi puſtulæ purpureæ vel lividæ corpus deturpant, hypocondria tenſa, & inflata fere moritur*. *Boerh.* aph. 735.

ſitis nulla ut ut lingua arida, nigra, tremula; vox clangoſa, tremor univerſalis (*l*); floccorum collectio, muſcarum venatio (*m*), poſt ſummam agitationem, ſumma debilitas, mors. Mitiſſima ſimptomata morbum initio aliquoties larvantia, monſtruoſi quid ſubalere, mihi indicabant pulſus parvus & celer, leviſſimus ſed univerſalis tremor, cita faciei mutatio, anxietas neſcio quæ & moroſitas, lenitati ſimptomatum alienæ. Merobibum memini in quo tam celeriter increverat morbus ut jam tertia die extra ſpem videretur cum pulſu peſſimo, orthopnæa & delirio; emeſis omnia brevi pacavit. Tum in hac tum in aliis claſſibus, paroxiſmi quoad vehementiam tertianæ typum obſervabant, ita ut alternis diebus acerbiora ſemper obſervaverim ſimptomata, & ſæviori denaſcebantur die a decima ſeptima ad viceſimam quintam, duos tantum novi homines qui poſt triceſimam quintam obierunt.

Hæc

(*l*) Quam formidandus ſit tremor delirio conjunctus non neſciebant veteres; *Hypocrates* eadem obſervavit ſimptomata quæ noſtra exhibuit epidemia, *Deſipientiæ cum voce ſtridula, & linguæ convulſione tremula, voces quoque ipſæ tremulæ, mentis vehementem alienationem ſignificant*. Prorret. L. I. §. 19. Foeſ. 68. *In vehementi mentis emotione accedentes tremores exitio ſunt*. Coac. Prænot. §. 88. 93. 97. *Tremulæ linguæ cum nigro colore mortem denunciant* ibid. §. 223. Vim vitalem debilitatam ſemper arguit tremor in morbis, non obſcurum ergo cur tam ſiniſtri ominis habeatur.

(*m*) *De manuum vero motione ita cenſeo. In febribus acutis aut capitis doloribus, quibus ante faciem feruntur & aliquid fruſtra venantur, & feſtucas colligunt, aut floccos e veſtibus evellunt & ex pariete paleas carpunt, ex his omnibus malum & mortem portendi*. Prænotion. §. 17. Quæ omnia ſimptomata obſervaverat vir ſummus in febre bilioſa. Vid. de dieb. Judicator. §. 3. Foeſ. p. 57.

Hæc ſunt præcipua & pathognomonica ſimptomata epidemiæ noſtræ, varietates nonnullas & caſus rariores, in poſterum, repetitiones vitandi cauſa relinquo. Vis maxima ab initio Junii ad finem Octobris; plures tamen adhuc hieme ſequenti, quæ pluvioſa & tepida epidemicis favebat decuberunt; nonnulla & ſæva exempla obſervavi æſtate anni 1756. & vere 1757. Nullus demum adeo fauſtus eſt annus ut ſimiles prorſus deſint morbi.

Genus & Cauſa Morbi.

Febriles morbos bene multos obſervavi, perplures evolvi accuratas febrium hiſtorias, & quo plus circa rem intendi animum, eo magis perſuaſum habui, omnes primarias febres, ne una quidem excepta, eſſe intermittentes, inflammatorias, putridas, aut ex illis complicatas. Nec quicquam obſtat enormis ille febrium catalogus, qui medicinæ progreſſibus obſtitit quidem, nullatenus vero, favente cœlo, numerum morborum auxit. Variis enim nominibus ſæpe eumdem morbum indicaverunt; alias & plerumque ex ſimptomatibus neglecta cauſa nomenclaturam deducentes, tot finxerunt nomina quot paulo graviora ſimptomata in febrili praxi occurrebant. Dum tamen nemo neſcit, eamdem cauſam pro varia vi, varia ſede, varia ægri ydioſincraſia, varia regione, varia tempeſtate, varia imprimis curatione, ſimptomata innumera facie quidem diverſa, eadem tamen ſecure reſcindenda producere poſſe: hicque egregie valet magni *Boerhaavii* effatum: *apparet hos morbos varietate quidem infinitos ratione ſimptomatum, tamen ex origine non adeo compoſita pendere neque tam varia medicamenta medendive methodum requirere* (*n*).

Quis-

(*n*) Aphor. 1056.

Quiſque mox percipit, nec intermittentium, nec phlogiſticarum febrium claſſi adſcribi poſſe epidemiam Lauſannenſem, ſed ex putridarum genere fuiſſe; & optime congruunt tres noſtri ſtatus cum triplici veterum συνέχη, alia pituitoſo-biliosa, alia bilioſa, tertia atrabilioſa. In omnibus enim ægris invenimus ſimptomata putridi fomitis ſeu ut vocare amat immortalis *Boerhaavius* alcali ſpontanei huc magis illuc minus acris. Triplex autem talis cacochiliæ fons; 1. humor perſpirabilis retentus, putreſcentis ſemper indolis, & inditis humanæ machinæ legibus, ad inteſtina plerumque refluens; 2. alimentorum, ex animali genere ſponte putreſcente reliquiæ; tum denique bilis ipſa, *omnium humorum citiſſime in putredinem vergens, hinc ſimul ac quid putridi in primis viis naſcitur, mox bilis mutatur* (*o*), & ſimul ac putruit omnia citiſſime putrefacit. Cum vero tria illorum putridorum genera effectibus perfecte conveniant, non immerito morbi quos generant bilioſi dici poſſunt. *Ubi enim putredo abierit in ſal volatile & oleum urens a veteribus bilis acris dicitur* (*p*); & ſi noſtram comparamus epidemiam cum illis quas præſtantiſſimi deſcripſerunt Medici febrium bilioſarum nomine, mox ſimilitudinem percipiemus; tales ſunt hemitritei & triteophiæ veterum; meſentericæ recentiorum, imo & typhos omnes, lypyria, aſodes, hungarica, gaſtrica, cauſus (*q*); quas omnes

(*o*) Ill. *Van Swieten* §. 85. t. 1. p. 121.

(*p*) Ill. *Gorter* Comp. t. 37. §. 13.

(*q*) Omnes antiqui, plerique recentiores, cauſum inter febres bilioſas recenſent; *Alberti* dicit cauſum eſſe ſummum febris cholericæ gradum. *Junker* ut alios taceam eodem capite de febre bilioſa & cauſo agit. Ill. vero *Boerhaave*, cauſo ſeu febre ardente intelligit inflammatio-

omnes bili circa præcordia congeſtæ uno ore tribuerunt Medici, & ſanarunt medicamentis bili infeſtis (*r*). Febrem bilioſam cum delirio, noſtræ affinem, libro de *affectionibus* jam deſcripſit *Hypocrates* (*s*). Plures ſimiles in epidemicis leguntur, & jucundum erit hic excitare verba quæ inveniuntur in libro de *Priſca Medicina*: *Si amarus humor aliquis, quem bilem flavam nominare ſolemus, effuſus fuerit, quænam anxietates, æſtus, impotentiæ tenent? ----- Quinam dolores & febres? Et quibus acres & æruginoſi humores inſtant, quinam furores & viſcerum lancinationes animique abjectio inde oriuntur* (*t*)? Si adeamus breves ſed egregias deſcriptiones illuſtriſs. *Gorteri*, inveniemus morbum noſtrum omnino ſimilem morbis quos tribuit bili morbidæ: *Humor morboſus, ſubpinguis, ſaponaceus, acris calefaciens, amarus flavi coloris, bilioſus dicitur; hic in corpore hærens producit faſtidium, nauſeam, ructum nidoroſum, linguam ſiccam amaram, anxietatem, dyſenteriam bilioſam, horrorem, agrypniam, vel ſoporem aut delirium, cephalalgiam, ſurditatem, oculos nictitantes, tremorem, pulſum celerem aut frequentem, calorem morda-*

tionem generalem maſſæ ſanguineæ; quod notari volui, ne error in praxi oriatur, longe enim diſtant curationes cauſi phlogiſtici, & cauſi bilioſi.

(*r*) Nonnulli inter veteres crediderunt, putredinem numquam in vaſis ſedem habere, ſed ſemper in primis viis; quod ſuadebat illis effectus emeſis, quæ ſæpe febrim omnino jugulat.

(*s*) Foeſius p. 518.

(*t*) Foeſ. p. 16. Pluribus aliis locis morbos ex bile graphiter pinxit *Hypocrates*, nec ullos alios tam frequenter memorat, vide præſertim Aphoriſm. paſſim & *Galeni* Commentar. Oper. t. 7. *De natura hominis* §. 88. & aliis, Foeſ. p. 230. *De diebus decicat.* §. 4. 5. Foeſ. 57.

mordacem (*u*), *acriſiam* (*x*). Illuſtriſs. *Huxam* qui tot nominibus tam bene de medicina meruit ſic ſcripſit: *Menſe Auguſto* 1741. *febres putridæ perlongæ, (meſentericæ forſan) plurimæ inter popellum atque nautas præcipue, quædam vero valde phreneticæ, hæ autem multo citius jugulant. His tumidus eſt plerumque venter & adſtrictus, ex retenta in viſceribus colluvie; mirum eſt utique quam multum atræ bilis ανωκαί κατω ejicitur ſæpe* (*y*). Egregia pariter de febribus bilioſis exponit vir celeberrimus L. *Tralles* in utili de inutilitate abſorbentium opere (z); ſed omnium quantum novi optime illarum generationem expoſuit vir optimus F. *Hofmann*, cujus verba hic legere gratum cuique fore confido: *Inter morbos ex bile perverſa & ad ſanguinem traducta, præcipue febres & quidem ſic dictæ bilioſæ recenſeri merentur. Et quamvis ipſæ febres bilem generent, nullum tamen eſt dubium quin etiam a bile vitioſa oriantur. Conſentientem hac in re habemus Hypocratem. Primo enim non dubitari poteſt, & aſſenſum quoque apud antiquitatem invenimus, febrium plurimarum, præſertim intermittentium ardentium, & ſic dictarum cholericarum, propriam ſedem & originem in prima corporis regione circa præcordia, inteſtina tenuia, jecoris cava, lienem, pancreos, omentum; ut pote in hiſce locis ordinario ſanguinis tardior eſt circulus, gene-*

(*u*) Calorem illum mordacem ſemper habuerunt Medici pro ſimptomate febrium putridarum pathognomonico; *Mordaces quidem manui vocat Hypocrates febres ab humorum putredine genitas Pallas* de febrib. cap. 30. nec latet cauſa.

(*x*) Imprimis *Siſtemat. praxeos medic.* §. 130. 230.

(*y*) *Obſervat. de aere & morb. epidem.* t. 2. p. 72.

(z) *Virium quæ terreis remediis gratis hactenus adſcriptæ ſunt examen rigoroſius*, Cap. XVII. §. 88. p. 330.

generatio ſit impuritatum, & corrupti acres humores ex pancreate in inteſtina influunt, & non modo pathemata ordinaria in hypocondriacis ſpaſmodico febrilia, ſed & ſupra dictas febres excitant; ſiquidem ſimptomata quæ has febres comitari ſolent plerumque dicta in regione incipiunt (*a*). Quis neſcit ſimptomata alkali ſpontanei a ſummo *Boerhaavio* exarata, & aureas diſcipuli illuſtrationes (*b*)? E Medicis vero qui epidemias ſcripſerunt, nullus morbum noſtro magis ſimilem enarravit quam Vir clar. *VValcarenghi*, Medicus inter Cremonenſes feliciſſimus; ſimptomata tranſcribere longius foret, illum vero tribuit *bilis furentis variis tumultibus; & ſimul limphæ inteſtinali & pancreaticæ peſſimæ indolis, quæ hepatis colatoriis ductibus, partim ciſtifelleæ viæ, partim inteſtinorum parietibus & rugis atque ipſi ventriculo ejuſdemque inferiori orificio maxime adhærens earumdem partium fibrillas variis modis corrugat, atque in fortes contractiones cogit, eas fortiter irritando*(*c*). ----- *Neque mirum erat attendere majorem hanc morbi vehementiam, cum peculiare adeſſet bilis dominium. Humor enim iſte natura ſua magis mobilis, magis activus & penetrans, ubicumque conſiſtat, partes magis diſtendit, fortiter æſtuando irritat, mordet, atque lacerat, magiſque ardentem excitat febrem, atque magis acutos dolores, continentes ſolidorum fibrillas in violentiores oſcillationes cogendo* (*d*).

Jam ſat itaque & ſuper conſtare videtur ex præ-

(*a*) De bile medic. & venen. corp. hum. §. 27. op. t. 6. p. 158.

(*b*) Aph. 85. 86. Comment. t. 1. p. 119. 120. 130.

(*c*) *Medic. ration.* t. 1. §. 52.

(*d*) Ibid. §. 154. Quæ vera quo ad cauſam & effectum, leviores forſan habent errores circa modum.

præmiſſis, veram morbi epidemici Lauſannenſis cauſam fuiſſe humorem putridum alcaleſcentem, bilioſum, minori majorive donatum acrimonia; ventriculum, inteſtina tenuia, duodenum præſertim, hepar, veſiculam, ductus biliarios, meſenterium, aliaſque partes contentas abdominis occupantem, illas irritantem; & lapſu temporis, vi morbi, prava medela, omnem tandem humorum maſsam inficientem, ut ex hiſtoria morbi jam patuit.

Cadaver.

Inciſio cadaverum quæ in multis caſibus, latentes ægritudinum cauſas oculis tam belle ſubjicit, in morbo noſtro circa cauſam cujus nullum fuit dubium, haud adeo neceſsaria erat; & fauſte quidem; pauci ſunt enim, erroneis præjudicatis opinionibus majores, qui illam permittant; unde irreparabile medicinæ & genti humanæ damnum. Unica conceſsa occaſio quid exhibuerit breviter recenſebo, ex communicatione Clariſſimi Medici, amiciſſimi collegæ *DD. J. d'Apples*, tunc enim aberam. Cadaver fuit hominis quadragenarii, cui conjuncta opera medelam aliquandiu in graviſſimo morbo præbueramus, & quem circa viceſimam quartam diem, neceſſarii tradiderant agyrtæ, qui illum vehementiſſimis draſticis mercurialibus pro panacea infallibili venditatis, & veſicatoriis ad mortem uſque vexavit; notationes nonnullas addam. 1. *Cutis externa liveſcebat, movendo cadaver multum effluxit ſanguinis e vulnere quod dorſo induxerant veſicatoria. Femora & crura ſtuprata erant maculis rubris, & tumoribus purulentis furunculis ſimilibus.* Color cutis, hæmorrhagia & maculæ rubræ, plenam ſanguinis diſſolutionem teſtantur. Et ſane veſicatoria ſub finem morbi bilioſi, machina, tabe putrida jam diruente, peſſime adhibita fuerant.

rant. Non ſapientius uſurpata remedia mercurialia, quorum & hæc eſt vis ut omnia putre-&-liquefaciant; ſed quid! Agyrtarum eſt deſipere. De purulentis tumoribus nonnulla infra. 2. *Levis aderat echimoſis in tegumentis & muſculis abdominalibus infra umbilicum in latere dextro.* Cum prima obſervatione congruit. 3. *Pinguedo flava & bile tincta in omni corporis ambitu.* Bilem ubique effuſam & omne pingue corruptum docet. 4. *Jecur & ſplen ſana, veſicula fellis redundante bile turgida, meſentericæ glandulæ tumidæ flavo rubentes; ventriculus diſtentus, in duas quaſi peras diviſus, liquore nigricante plenus, inteſtina tympanitica, non aperta fuerunt.* Hic plura ſane inveniuntur quæ cauſæ morbi lucem affundunt; inteſtina aperta læſionem in duodeno veroſimiliter exhibuiſſent, ibi enim plerumque præcipua ſedes morbi. Diviſio ventriculi in duas peras tam frequenter obſervatur, ut vix inter morbidas alterationes referri poſſit. Alias plures obſervationes circa viſcera pectoris & capitis ſagaciter quidem & accurate inſtitutas, ſed naturam morbi nihil illuſtrantes, prorſus omittam. Si quis non majora vitia circa præcordia detecta fuiſſe miretur, attendat verbis Clariſſ. J. A. *Borelli* in illa epiſtola qua Cel. *Malpighi* enarrat hiſtoriam epidemicæ febrisölioſæ noſtræ ſimilis, quæ *Piſis* anno 1661. vigebat. *In quatuor cadaveribus, quorum ſectionibus interfui, nulla notabilis læſio in pulmonibus viſa eſt, excepta aliqua ariditate, ab ardore febrili forte inducta; in reliquis ſani apparuere. Meſenterium pariter & glandulæ in ipſo contentæ, nec putridæ, nec corruptæ erant, ut dubitabatur. Subſtantia quoque hepatis & lienis, nulla læſione afficiebatur. Veſica tantum biliaria inſigniter turgebat,* (anne id evenit ob conſtrictum ſpaſmodice ductum choledocum) *& inſuper ventriculus eodem humore bilioſo afluebat, & in*

aliquibus inteſtina flavo colore tincta inventa fuere (*e*). Si quis adeat immenſam illam ex cadaverum ſectionibus collectionem quam jam diu promulgavit *Bonetus*, obſervationes de febribus evolvendo percipiet facillime, in bene multis caſibus deſigurationem pro morbi cauſa aſſignatam, illi producendo imparem prorſus fuiſſe, & veram non detectam quia vix notanda. Nec ſtupenda res videbitur illi qui noſcit, 1. ſenſibilitatem & irritabilitatem totius ſiſtematis inteſtinalis. 2. Quam difficillimum ſit noſcere alterationes morbidas humorum qui raro ſub ſenſus cadunt. 3. Quantæ mutationes quoad tenſionem fibrarum & locum fluidorum, mortem ſequantur. 4. Quam vehementer in corpus vivens agere poſſit, cauſa externis vix obſervanda ſenſibus ſi nudis nervis aut muſculis applicetur. 5. Demum, quam cito lethalis eſſe poſſit læſio vaſculorum adeo tenuium, ut huc uſque fugerint oculos virorum qui tot minima viderunt, *Ruiſchii*, *Morgani*, *Albini*, *Halleri*. Verum eſt tamen, læſiones majores in congeneribus morbis alii invenerunt obſervatores; ſic dum extiſpicia denatorum febribus bilioſis luſtrabant *Lanciſi* & *Guideti bilem ciſticam non tantum atratam ſed ulterius inſtar picis interdum concretam, non raro fœtidiſſimam milleque aliis modis delinquentem deprehenderunt, & hepar potiſſimum ſubfuſci coloris* (*f*). Sed hæc de cauſa morbi ſufficiant, jam ad curationem accedamus.

ME-

(*e*) Vid. *Malpighi Oper. poſthum.* 4. 1700. pag. 27. & ſeqq.

(*f*) *Bianchi Hiſtor. Hepat.* Part. III. p. 231.

METHODUS MEDENDI.

Status primus.

Morbi ſunt quorum hæc eſt norma, ut, dummodo vires vitales nec excedere, nec deficere permittamus, idoneamque diætam præſcribamus; ſponte coquitur, & cocta, naturali criſi expellitur materia morbida. Tales ſunt omnes morbi inflammatorii veri, in quibus, noſtris ut *Hypocraticis* diebus criſes regulari addictas ordini, obſervabit quicumque illorum naturam & medelam *Hypocrate* præceptore doctus, nihil temere & inepte movebit aut evacuabit; ſed ſolis molliſſimis diluentibus omni forma applicatis, præmiſsa ſi neceſſe quod rarum V. S. contentus; non ſataget, cerebro, pectori aut aliis viſceribus impactum phlogiſticum ſanguinem, emeſi, catharſi, diureſi, aut ſubtilioribus corporis meatibus cutaneis poris, expellere: vel humores vividioribus ſolidorum oſcillationibus denſatos, reſolvere tentabit acribus illis ſolventibus medicamentis, quæ fibras ad novos ſollicitant motus. Lætus ſæpe miratus ſum criticas illas mutationes præfixo evenientes tempore, nec vel minimum quidem aberrantes ab illa ſerie quam indixit Parens medicinæ. Sed verum eſt illas numquam obſervavi niſi quieſcerem & quieſceret ęger; ſępe vero quievi, apprime doctus, *quod interdum optima medicina ſit medicinam non facere* (g). Res autem ſemper non ſuccederet, nec ſic in morbo noſtro ſucceſſiſſet; putridos enim, eriſipelatoſos, & malignos, *acriſios* eſſe repetita docuit obſervatio. *In meſentericarum febrium curatione ſæpe vidi*, ait *Baglivi*, *inutile eſſe dies criticos eorumque*

 vim

(g) *Hypocr. de articulis.* Quid ſit medice quieſcere haud neſciunt ſapientes.

vim & poteſtatem obſervare (*h*). Et monuit *Junkerus febres bilioſas ad illos affectus poſſe referri, in quibus autocratia Naturę arti aliquo modo cedere cogitur* (*i*). Ea eſt ut jam dixi phlogiſtica diatheſis, quę molli dilutione & continua moderata *vis vitalis* actione ſenſim ſubacta ſponte evacuetur; putridorum e contra fomes, *vis vitalis* actione & temporis lapſu, pejoris continuo fiens indolis, a die in diem acerbiora inducit ſimptomata, niſi ſupleat ars quod deficit Natura; inſtituere enim debet evacuationes quæ ſponte in phlogiſticis ſuccedunt: Undenam? An ex varia fabrica partium laceſſitarum? An ex varia materiæ morbidæ indole, vel demum ex eo quod putriditate actio nervorum prorſus vitiatur? Sane qui ex utriſque conjunctis hanc differentiam deducet, parum, ni fallor, a vero aberit; ſed forſan de his ſuſius quondam.

Poſita cauſa duas monſtrabat indicationes, aut fomitem putridum corrigere, id eſt tali modo alterare ut nocere nequeat; aut illum evacuare, *nam corrupta bilis circa præcordia hærens, enormes febres accendit, numquam curabiles, niſi putridus ille fomes tolli poſſit* (*k*). Alterans ſufficit methodus ubi pauca eſt materia acrimonia tantum nocens, ſic in morbis infantilibus ex acido, optime curat abſorbens medela: nec hic fuit caſus noſter, & acrimonia enim nocebat & mole humor morbidus. Satis ſunt evacuationes ſi morbi cauſa ſimul & ſemel ejici poteſt, quod impoſſibile fuit in morbo noſtro, dum omnes humores extra circulationis leges poſiti in pleriſque viſceribus abdominalibus morboſo ſeminio infecti erant.

La-

(*h*) *Prax. Medic.* L. I. de febrib. mal. & meſent. p. m. 52.

(*i*) *Conſpect. Medic. theor. pract.* tab. 62. p. 510.

(*K*) *Van Swieten* §. 99. T. 1. pag. 141.

Labor ergo incumbebat Medico, materiem continuo ſic alterare, ut vim ejus deleteriam, ſi non prorſus caſtraret, multum ſaltem infringeret; & ſimul ac mobilis fiebat illam evacuare. *Præcipuum enim auxilium eſt, ſi in hac febre tempeſtiva bilis cauſticæ excuſſio ſuccedit, exinde etiam contingit, ut febris non tanta acerbitate contingat, contra vero, longe majus periculum involvit hujus excretionis cunctatio* (*l*). Alteranti ſatisfaciebant indicationi potus aceſcentes. De genere evacuationum ambigere nullus erat locus; illa palmam meruit quæ emetocathartica duplici ſimul evacuabat via. Iter monſtravit natura & jam *Hypocratem* docuerat, morbos bilioſos non niſi cholera ſanari (*m*). Faſtidium & nauſeæ ſat ſuperque teſtabantur ventriculi labem; nec tantum quatenus evacuans proderat emeſis, ſed multum quoque juvit ratione ſuccuſſuum, quibus abdominalia viſcera concutiebat; ſic enim materię infractibus viſcerum impactæ, atteruntur, ſolvuntur, exprimuntur: *Vomitus actio*, ait jam laudatus nec ſat laudandus *Huxam*, *obſtructiones vel in ipſis corporis penetralibus reſerare apta eſt, omnes corporis humores attenuat, omneſque promovet ſecretiones, & dum ſtomachus ſeu muco acido obrutus, ſeu bilioſa colluvie languet, quaſi vas iners fermento imbutum putrido, ingeſta omnia corrumpit, hinc perpetuus morbi fomes*,

(*l*) *Mich. Alberti Praxis univerſal*. Sect. IX. Cap. VI. §. 4. Hic notari velim, bonum virum, plures utiles cautelas circa febres bilioſas habere, multoſque ſimul graviores errores, ortos eo ſiſtemate circa degenerationem bilis quam acidam credit, dum acida illam prorſus delent; eodem nævo maculatur Doctrina omnium priſcorum Stahlianorum, quod probe tenendum.

(*m*) *Febres lipyriæ non niſi per choleram effuſa bile ſolvuntur*. Coac. præn. §. 120. Confer. *Baglivi* lib. cit. p. 56. 57.

mes, *donec perpurgatur ventriculus* (*n*). De uſu emeſis idem ſentiunt inter multos alios, viri in arte præſtantes, *Fernelius*, *Riverius* (*o*), *Freind* (*p*), *Boerhaave* (*q*), *Ludvvig* (*r*). *Fernelii* imprimis verba rem noſtram optime dilucidant. *Facilis & moderata vomitio ſaluberrima eſt, & purgationum omnium præſtantiſſima. Noxios quippe humores ex ipſis fontibus ſinceros elicit & vacuat, omnem quæ in ventriculi capacitate in ejuſve tunicis hæret illuviem imprimis expurgat; e præcordiorum membranis, e cavis jecoris ac lienis, & ex pancreate, omnis generis ſupervacuos humores ſinceros elicit, quos plerumque nec hiera, nec aliud vehementiſſimum ullum etiam frequens farmacum in alvum exturbare poteſt* (*s*). Quam neceſſariæ ſint evacuationes in hiſce morbis, omnis novit antiquitas, & ante viginti ſæcula illas ſuaſit *Hypocrates* (*t*), & poſt illum *Galenus*, omneſque alii; & præſertim vertente quarto ſæculo *Alexander Trallianus* (*u*); ſimilis fuit recentioribus curatio. *Borelli* monet nullum evaſiſſe niſi evacuata bile (*x*), quam tamen, verum eſt, emeſi non expugnabat, unde

(*n*) Obſervat. de aere & morb. epid. T. 1. p. 21. 23. 25.

(*o*) Inſtitut. l. 5. p. 1. S. 2. Cap. IV. p. m. 131.

(*p*) Comment. de febrib. Comm. 4. p. m. 19.

(*q*) Aph. 1244.

(*r*) Inſtitution. §. 1541. 42.

(*s*) De morb. eorumque cauſis Lib. III. Cap. III. Oper. omn. p. m. 210.

(*t*) *Quamdiu bilis ſublata, incocta, & minime contemperata fuerit; nulla arte, neque dolores, neque febres finientur*. De priſc. medic. cap. 35. Foeſ. p. 16. confer. Foeſ. pag. 396. 473. 489. 519. 534. 547. 1139. 1152.

(*u*) *De arte medica* Lib. VII. Cap. XVI.

(*x*) Loc. cit. confer. *Bianchi Hiſtor. hepat.* p. 282. 702.

de ſapientia ſua effatus eſt Clar. *Glaſs*, *non poſſum non mirari quo Malpighi & Borelli bilem a veſica, (cum intra bilem totum morbum ſiſti vidiſſent) emetico exprimere & ventriculo educere minime ſenſerint. Certe æquum eſt ex hiſtoria morbi cenſere ob neglectum emeticum plures interiiſſe* (*y*). Ill. *Hofmann* duas habet indicationes, primas vias repurgare, bilem infringere (z). Quam ſpecialem methodum in ſingulo ſtatu adhibuerim hiſce nixus principiis, nunc eſt enarrandum.

Omnes ægri a pluribus jam diebus ægrotabant antequam Medicum accerſerent, unde primo ingreſſu emeſim ſæpe præſcripſi; recte quidem operabatur, non ſemper tamen omnino pro votis: nec quantitate enim ſufficiebant evacuationes, nec prorſus evaneſcebant anxietas & nauſeæ, & ter aut quater, initio epidemiæ, ſecunda remedii doſis aliquot elapſis diebus præſcribenda fuit; quod in poſterum non accidit; mecum enim de cauſa phęnomeni cogitanti, facem præbuerunt *Hypocratis* doctrina de coctione, & perpulchra obſervatio Ill. Archiatri Auſtriaci; *probe memini*, inquit, *cum poſt fervidiſſimam æſtatem febres bilioſæ epidemicæ graſſarentur, in quibus moleſta nauſea, & vomitus fere ſemper aderant, me aliquoties dediſse ſtatim vomitorium abſque multo levamine, ubi autem per unum alterumve diem, oximelle, vel ſimilibus magna aquæ copia dilutis uſus fueram, ſponte ſæpe vomitu excutiebatur corrupta bilis, inſtar glutinis fere ſpiſſa, vel leni vomitorio, ſecunda vice exhibito, facile expelleba-*

(*y*) Commentar. de febrib. Comm. 7. p. 116. legatur quoque Cl. *Grainger* hiſtoria febris anomalæ Batavæ p. 73.

(z) De duodeno mult. morb. cauſa §. 20. Oper. T. 6. p. 194.

tur (*a*). Miſſis ergo nugis, quas contra garrierunt recentiores nonnulli Medici, ad coctionem operam intendi: ut vero rectius intelligatur quid ſit coquere in morbo bilioſo, nonnulla obſervare liceat circa coctionem & turgeſcentiam in genere.

Coctio in morbis, hic enim de *pepſi* non agitur, duplex numerari debet; alia ad mitigationem, alia ad evacuationem; quandoque enim ſatis eſt noxias humoris morbidi qualitates obtundere, tunc coctus dicitur ut ut nulla evacuatio ſuccedat; imo talis coctio ſæpe humorem evacuationi ineptum reddit: huc referenda coctio in morbis ſolidi. Coctio vero ad evacuationem duplicis iterum eſt generis: alias enim materiæ morbi craſſæ, glutinoſæ, tenaci, tenuitatem & mobilitatem conciliare debemus antequam expulſionem tentare fas ſit; & dum ſic attenuatur humor non raro generatur acrimonia, unde patet coctionem ad morbum revera cum coctione ad evacuationem aliam eſſe. Pluries e contra morbidos humores adeo mobiles & acres deprehendimus, ut ſacrum ſit evacuantia adhibere, ne, vel leviſſimo addito ſtimulo effrenes hinc inde ſummo impetu vagantes, breviſſime irreparabilia damna inducant. Tunc mitiganda acrimonia illa & frænanda mobilitas: ſpecies hæc coctionis ad evacuationem, affinis eſt coctioni ad morbum. Prima cruditas dici poſset *cruditas infra evacuationem*; ſecunda *cruditas ſupra evacuationem*.

Duplex eſt quoque turgeſcentia, alia ad molem, alia ad motum. Turgent humores tum crudi tum cocti ſi copia omnes vel aliquas præpediant functiones: turgere adhuc dicuntur & tunc turgent ad motum quando acrimonia & mobilitate vehementer partes ſtimulant & irregu-

(*a*) §. 644. l. 2. p. 225.

regulares motus cient, ut ut ſæpe parca adſit quantitas (*b*).

Ex pauciſſimis iſtis jam *Hypocrati* notis, & quæ ſedula confirmavit obſervatio, intelligitur facillime, humores in primo noſtro ſtatu, turgentes plerumque mole & crudos infra evacuationem fuiſſe; illos ergo fluidos & mobiles, reddere debui ante evacuationem, niſi turgeſcentia ſumma fuiſset, quod rarum; id ſuſcepi uſu remediorum ſimul incidentium & antiputridorum, e digeſtivorum ſic dictorum claſſe (*c*), & hæc fuit plerumque præſcripti ſignatura,

(*b*) Celeb. *Glaſs* definit materiam turgentem, *aliquid moleſtum circa primas vias hærens, quod aut per os aut per alvum, plerumque excuti poteſt, atque haud rarum ventriculum aut inteſtinum ad id ipſum expellendum irritat*. Comment. de febrib. 7. p. 102.

(*c*) Digeſtiva ea ſunt remedia, propria verbi ſignificatione quæ vires ventriculi ad alimentorum coctionem juvant; cum vero hæc vox duplici ſenſu adhibeatur, inde quoque digeſtiva dixerunt remedia quæ coctionem humorum morbidorum ſollicitant, nec male quidem; ſed cum cruditatem *infra evacuationem* ſolam animadverterent, claſſi digeſtivorum ſalina tantum, inciſiva, acria, aut inutilia abſorbentia adſcripſerunt; errore ſane proſcribendo; tot ſunt enim digeſtivorum claſſes quot cruditatis ſpecies, & in cruditate *ſupra evacuationem* digeſtiva non dantur niſi incraſſantia, obtundentia, adſtringentia, ut infra patebit & ut jam novit *Hypocrates*; hæc fuit enim illius de coctione doctrina, ut humor morbidus talem haberet mobilitatem qua facile evacuantibus cederet, nec tantam tamen, ut ex impetu damna oriri poſsent. Eadem paſſim ſuadet *Galenus*, qui humorem bilioſum coquebat aqua frigida; humorem pituitoſum pipere. *Method. medend. L. II. Ad Glauconem L. II. De ſanitate tuenda L. IV.* Egregia quoque habet, poſteris pleriſque contempta, *Sennertus de febrib.* Lib. II, Cap. VII.

tura, ut omni trihorio doſim pulveris ſumerent, ſuperbibendo decocti uncias quatuor. Pulvis fuit ex terra ſoliata tartari, tartaro vitriolato, cremore tartari aliiſve ejuſdem indolis; ſæpe quoque in uſum vocavi ſulphur auratum antimonii, *Untzeriana* methodo præparatum, cum ſaccaro & aliquo e prædictis ſalibus mixtum, quod fauſte ſuccedebat. Decocti, materiem præbuerunt radices graminis, acetoſæ, chicorei ſilveſtris vel folia capillorum veneris cum terra foliata tartari, vel oximelle ſimplici & nonnullis fruſtulis corticis viridis citri, quæ ſat bene nauſeoſum graminis ſaporem caſtrant, indeque vix omittenda ſi non adhibetur oximel. Ubi magis arridebat electarii forma materiem præbebant condita aceſcentia acetoſæ, alleluyæ extractum liquidum taraxaci, & ſal aliquod aut neutrum aut acidum; mixtionis enim proportiones ſemper præſcripſerunt ſimptomata quæ magis minuſve vigere bilem aut viſcoſitates indicabant. Si poſt duos, tres aut quatuor dies, horror mitior, linguæſedimentum minus tenax, urinæ turbidæ, ructus nidoroſi, nauſeæ frequentes, flatus, borboriſmi, ſedes copioſiores, materiam mobilitatem jam adeptam eſſe probabant; tunc potionem emeticam præſcripſi. Ypecacuanam aliquoties initio adhibui; mox vero novi celebratam illam radicem, ſufficientem hic non eſſe cuneum; cujus præterea hoc erat vitium, quod, poſt peractam evacuationem, alvum adſtrictam, & aliquoties ſitim relinqueret: Mutato ergo conſilio, ambabus ulnis amplexum tartarum emeticum, nunquam fere deinceps deſerui, cujus doſim ætati & aliis indicantibus accomodatam, cum aquæ unciis octo decem ad libram uſque, addita ſirupi capillorum veneris ſexta parte ſolutam, intra duos tres vel quatuor hauſtus potandam præſcripſi: & hæc partita methodus in tanta ægro-

rum

rum varietate, plerorumque quorum idyoſincraſia uſquedum prorſus incognita erat, feliciter ſuccedebat; apprimeque memini quod nobilis advenarius cui ſuaſeram ut omni ſemi hora quartam remedii partem hauriret, poſt primum hauſtum, per duas horas, continuo fere ductu, cum ſumma euphoria & brevi conſequente ſanatione, ανω χαι χατω evacuatus fuerit; qui vehementem procul dubio paſſus eſſet ſuperpurgationem, ſi doſim integram ſimul & ſemel, ut ſæpe præſcribitur, aſſumpſiſſet. Hujus potionis alterum fuit commodum, quod grata, pueris & delicatioribus abſque nauſea præſcribi poſſet. Mannam aliquoties addidi, utut raro ſedes non moveret ſimplex tartari ſolutio; quod momentoſum ſemper habui: præterquam enim ſic longe major copia materiæ morbidæ educitur, Naturæ præmonſtratur via qua deinceps ſomitis reliquiæ expelli debent (*d*). Effectus remedii talis fuit, ut vulgo poſt ſemi horam elapſam; id eſt mox poſt ſecundam doſim, nauſeæ jam in actum deducerentur & ſuccederet vomitus; qui ſi ſufficiens judicabatur, reliqua intacta remanſit potio; ſinon, hauriebatur. Materiæ viſcoſæ, bile flava amara fœdatæ ejiciebantur; tum ſuccedebant ſedes, foeces liquidas, flaveſcentes, fœtidas educentes. Vomitum ſæpe juvi copioſo potu aquæ tepidæ mellitæ; vomitu pacato, ſedes copioſiores excitavi propinando cochleatim reliquam potionem largo dilutam vehiculo. Sic celebrata

(*d*) Idem obſervavit Celeberr. *Pringle*. *Les vomitifs qui occaſionent auſſi des ſelles, ſont les plus utiles, ſurtout s' ils ont aſſez de vertu pour procurer une abondante èvacuation de bile putride, par le haut & par le bas, par ce moyen ils operent ſouvent la gueriſon ſans qu'on ait beſoin d' avoir recours à d' autres remede. Malad. des Armèes*, Part. III. Ch. IV. §. 5.

brata evacuatione, melius ſe habebat æger quoad anxietatem, debilitatem & ſomnum. Eamdem ſequutus erat viam Vir inter Clinicos merito celebratiſſimus Ill. *Vvalcarenghi*; & illam poſteris commendavit *G. E. Sthal nam curatio quæ materiæ in his febribus peccanti ſufficiat, nulla alia eſſe poteſt quam emetico-cathartica* (*e*). Et verum eſt, ſæpiſſime obſervavi unicam emeſim præſtitiſſe, quod non attigerant repetitæ alvi ductiones. Memini fœminam quæ nullo arceſſito medico, jam quinquies, omni ſcilicet biduo, potionem purgantem ex rheo ſale ſedlicenſi & citro, illi familiarem hauſerat, nec minimum profecerat; protinus vero poſt emeſim melius ſe habuit.

Poſt primam evacuationem, prædicta remedia digeſtiva in uſum revocabantur; expulſa enim cocta materia, reliquam crudam coquere onus incumbebat; &, numquam fallente obſervatione, illa remedia quæ antea vix purgantem ſcopum tetigerant, nunc, vi aucta diminutione materiæ hoſtilis, quotidie duas vel tres ſedes ſemper putriditatem redolentes educebant. Languor ſenſim minuebatur, nec tamdiu protrahebantur paroxiſmi. Tribus aut quatuor elapſis diebus, ſi copioſiores urinæ coctionis ſpeciem ferebant, inſtituebatur purgatio ex ſalibus manna, tamarindis, ſenne parcam quandoque doſim addidi. Aliquoties ubi facile ſuccedere ſedes, ſpes erat, ſatis fuit, mane in potu ordinario, ſolvere mannæ uncias duas cum aliquo ſale; inde plurimis adhuc evacuatis ſordibus, paroxiſmi vix ſupererat ſpecies; cutis molleſcebat, ſomnus pacatus redibat; jam, alimenta non nauſeabant ægri, nondum tamen deſiderabant: tardius reſtituebatur calor naturalis, & fere ſemper frigebant. Tunc unam tantum aut alte-

(*e*) *De febre bilioſa*. §. 46.

alteram doſim remediorum quotidie devorabant; ſenſim omnia diſcedebant ſimptomata, prodeuntibus deſideratis illis bilioſis ſedibus, quæ ſimul abducebant materiam morbidam, & vires organorum reſtitui demonſtrabant; apud nos enim, ut & inter Cremonenſes, obſervante Clar. *Gallarotti*, *dum bilioſæ eveniebant dejectiones, tunc ſolum, de omnimoda febris ſolutione ſperandum tuto erat* (*f*). Et quidem niſi ſic res ſuccederet, diutius & auctiori doſi digeſtiva adhibere debui, & tertium alvinam reiterare purgationem, imo, ſed raro, quartum; ad quintam vero confugiſſe nec memini, nec memorant codices. Pro laxis conſtitutionibus, viſcoſitate magis quam acrimonia laborantibus, duxi aliquoties in uſum, poſt primam purgationem, aquoſa fugiens, potionem ex larga terræ foliatæ tartari doſi, parca elixirii proprietatis, aquis ſtillatitiis chicorei, corticis citri & ſirupo chicorei compoſiti, pro re nata addito oximelle.

Non omnibus quos curavi emeſim præſcripſi, nonnulli fuerunt enim quibus ex contra indicantium legibus id vetitum erat; ſed tunc antequam purgantia ſtricte ſic dicta adhiberentur, diutius inſiſtendum fuit digeſtivis: Qui enim omiſſa emeſi alvum citius ſolicitabant, pœnam plerumque luebat. Vir venerandus ægrotabat, ſexta morbi die, (primis non arceſſitus eram) tartarum præſcribere mens erat; mutato conſilio

(*f*) *Methodus aurea febres profligandi*: De febre tertiana &c. §. 17. Utile opus ad calcem *Walcarenghi* reperiendum. Quam inſida ſit mitigatio febrium ardentium bilioſarum, quamdiu bilioſæ non egeſtæ ſedes, jam docet hiſtoria *Heropyti* qui tali morbo cum variis remiſſionibus ægrotavit, uſque dum centeſima prima, bilioſa plura alvus depoſuerit. *De morb. vulgar.* lib. 3. ſect. 3. ægr. 9. Foeſ. 1106.

lio ſuaſu medici advenarii, purgationem alvinam aſſumpſit: diu protractum morbum exceperunt dolores ventriculi, & autumno dyſenteria mucoſa, quod nulli accidiſſe novi ex illis qui evomerant, & ordinatam dein adhibuerant medelam.

Qui remedia reſpuebant, & poſt primam emeſim omni valedicebant medelæ, niſi forſan aquæ panis toſti aut limonato, tales autem fuerunt plures; ex diæta quam imperabat faſtidium minuto fomite, ſenſim quidem febrem ſuperabant, ſed tardius & imperfecte ſanitatem recuperabant; pluribuſque poſt aliquot menſes ad remedia confugere neceſſum fuit, ſed de his poſtea. Ter obſervavi in junioribus ſimptoma illud quod memorat *Sidenham* (*g*) tumens nimirum abdomen, fauſta morbi diſceſſione, *Lauſannis* ut *Londini*, ſuccedente; noſtros vero, dolor tegumentorum tactu increſcens & Londinenſibus ignotus, vexabat.

Si periculoſum fuit citius evacuationes deſerere, periculo non carebat protractior illarum uſus; & damnoſe falleretur qui crederet illas adhibendas fuiſſe uſquedum appetitus omnino reſtitutus & vires prorſus recuperatæ. Anorexia & debilitas initio morbi generabantur cacochilia ventriculum & primas vias infeſtante; jam vero ſub finem expulſo fomite, eadem inducebantur ſimptomata laxitate fibrarum, ſegnitie ſecretionum, & defectu bonorum ſuccorum in corpore. Verum hic ergo monitum *Boerhaavii quod uno tempore prodeſt, in eodem tamen morbo alio tempore datum obeſt* (*h*), & ſuum infelix addidit experientia teſtimonium; dum enim nonnulli ſaburram incuſantes laxantibus inſiſtebant, morbus protrahebatur, debilitas incre-

(*g*) *Opera*, *ſect.* I. *Cap.* V. p. m. 60.
(*h*) *Aph.* 849.

creſcebat, & nimia irritatione laceſſitis nervis ſiſtematis gaſtrici & inteſtinalis, ſucceſſiſſe vidi omnia ſimptomata ataxiæ & hyſteriæ; Quæ numquam obſervavi ſi tempeſtive miſſis purgantibus, diæta congrua, campeſtris exercitatio & tonica nonnulla in uſum traherentur. Vinum cui amaræ infundebantur plantæ pulchros ſucceſſus habuit. In ſimili caſu narcotica adhibuit *Sidenham* (*i*), illis abſtinere cautius duxi, debilitati enim nocent, ataxiæ infide medentur.

Status ſecundus.

In ſecundo ſtatu minor fuit ſomitis viſcoſitas, mobilitas major; evacuationes facilius ſuccedebant, & illas primo ingreſſu inſtituere ſæpe conducebat, periculum enim aliquoties in mora. Alias tamen profuit digeſtiva diluentia per viginti quatuor horas ex hydromele acidulato adhibere. Si ex calore moleſto, ſiti, vagis inteſtinorum doloribus, urinis, acrimoniæ multum ſuſpicari licebat, medullam caſſiæ, vel ſuccum citri, ſolutioni tartari emetici, loco ſirupi capillorum veneris addidi. Sæpe primis diebus vix ullum remiſſionis tempus obſervari poterat ante

(*i*) *De nov. febr. ingreſſu.* p. m. 367. *In morbis quam plurimis, quorum curatio ſolis evacuantibus abſolvitur, ſi dictis evacuationibus pertinaciter inſiſtamus, uſque dum ſimptomata omnia prorſus ablegaverimus, ſæpius ægro nonniſi morte medebimur &c.* Nec mirum: appetitus eſt vigentis ventriculi functio, cui impar eſt omnino quamdiu vires languent; tamdiu ergo jacet appetitus, jacet & digeſtio; nec illum excitabunt purgantia vi ventriculi adeo infenſa; quod notare velim illi qui ex faſtidio, nauſea, anxietate, diarrhea, lienteria, &c. evacuandi indicationes protinus deducunt, ſicque omnia peſſumdant.

ante emeſim ; hac vero celebrata mox omnia pacabantur. Ancilla viginti ſex aut octo circiter annos nata, egregie conſtituta, poſtquam per horas aliquot diriſſime riguiſſet, prehendebatur ſæva cephalalgia, pulſu celeri contracto, cute ardente, nauſeis, ſiti, urinis perpaucis, alvi obſtructione; mandatus Pharmacopola purgationem præſcribit, pulveres nitroſos, emulſa, pediluvia, ſed omnia in caſſum, ne minutum quidem remittit ſævities morbi: quinta die inviſens ægram, potionem ex tartaro emetico cum aquæ viginti, ſucci citri duabus unciis præſcripſi, cujus uncias tres omni horæ quadrante biberet; ſtupendam ſordium copiam ανω χαι χατω ejecit; nocte ſequenti dormivit; ſexta die pulſus mollior, elatior, rarior, levis tantum carebaria, ſitis ſedata, ſtatus demum remiſſionis; veſpera exacerbatio. Septima, prima potio, dimidiata doſi tartari, & longioribus potata intervallis plures eduxit ſedes, mitior veſpertina exacerbatio; octava & nona limonatum (ſit venia verbo) ſimplex, nona enema; decima limonatum purgans ut ſeptima, deſiderata exacerbatio. Undecima, duodecima, decima tertia, omnia fauſte ſuccedebant; limonatum ſimplex erat inſtar omnium, ſedes bilioſæ, redeuntis ſanitati criterium. Jam rara felicitate alimenta ſollicitabat ventriculus, cui nimium indulſit, inde decima tertia ſub noctem recruduit febris, cum acri calore & gravi cephalalgia, per integrum nicthymerum durans: remittente paroxiſmo mannam cum tamarindis præbui, optime convaluit citius quam omnes alii.

In genere, poſt primam evacuationem, pleriſque vix quicquid præſcripſi præter limonatum forte, vel decoctum radicis graminis canini, cui addebatur ſuccus expreſſus acetoſæ aut alleluyæ; *ſucci enim citri & acetoſæ, putredini reſiſtunt*,

ſiſtunt, cor peculiari vi roborant, intemperiem febrilem corrigunt, aperiendique vim habent (*k*); illos aut ſimiles potus frigidos ad uncias duas omni ſemihora aut frequentius potabant; numquam enim mihi arriſit methodus raro & copioſo hauſtu potum ægris præbere. Frequentes & parvos antiquis dilectos in deſuetudinem necio quo fato ruentes, reſtituerunt præſtantiores nonnulli medici ævi decimi ſexti & ſeptimi, firmaque lege illos ſtabilivit *Boerhaavius*; de hujus methodi præſtantia legi debet illuſt. Commentator (*l*). Illis qui prædictas reſpuebant potiones, decoctum hordei cum ſirupo rubi idei aut ceraſorum acidorum proderat. Verbo, egregie ſucceſſit omnis potus acidus nec nimis emolliens; qualis optime conficitur, ex ſuccis expreſſis fructuum horæorum cum aqua & ſaccaro; nec quicquam præſtantius novi in omni morbo bilioſo imo & inflammatorio, ſuccis ſaponaceis acidis mori, rubi, rubi idei, ribeſium, fragariæ, ceraſorum, imo & uvarum dummodo non nimis maturuerint; hæ ſunt enim illorum virtutes ut aceſcentia omnem putriditatem corrigant, ſaponaceitate omnia concreta bilioſa aut inflammatoria reſolvant, omneſque faveant ſecretiones: nec nimis ſolida laxant, quinimo grato ſapore, fragranti odore vi cardiaca pollent. *Maturorum fructuum ſuc-*

C

(*k*) *Sennert de febribus* L. II. Cap. VII. p. 221. Ibidem invenies, quod notatu dignum, *magis urgere quandoque putredinem & calorem, magis alias obſtructiones*. In primo caſu ſuccum citri, in ſecundo acetoſaria adhibui.

(*l*) §. 640. t. 2. p. 215. De febre bilioſa ſpeciatim agens ſcripſit *Alberti*, *potus ſit ſufficiens, modo non largis hauſtibus ingeſtus, præſtat eum ſorbillare, aut cochleatim ſed repetito exhibere. Prax. gener.* L. IX. Cap. VI. §. 9. & 25.

ſuccus nulla præparatione indiget, ſitim extinguit, calorem temperat, urinæ & alvi vias laxat, ſummum ſolamen languenti ventriculo a putrida bile præbet (*m*). Julii menſe anni 1756. amabilem puellam graviter laborantem, uſu ceraſorum interpoſitis laxantibus ſanavi. Nec novum celebro inventum; jam novit antiquitas ſaluberrimos uſus fructuum, & quid mirum! Cum nihil elatiori voce febricitantes doceat ſalutaris inſtinctus; & præ aliis veteribus, *Alexander Trallianus* egregia monita de illorum uſu, vix apud recentiores invenienda, paſſim habet. Verum eſt quidem, jam illius ævo & ante illum vixit detractorum omnis boni nefandum genus ut patet ex loco ejuſdem authoris (*n*); nec defuerunt deinceps medici magni ſane nominis qui illa diſſuaſerint ſed futiliſſimis nixi rationibus, inter quas illa tantum perpendi meretur quam ex *Sanctorii* aphoriſmis deducunt; alicubi enim (*o*) melones, ficus, uvas tanquam impedimenta tranſpirationis recenſet. Facilis reſponſio; non eſt apud omnes idem fructuum effectus, nec illos omnibus, tantum abeſt ſuadeo; dum enim aquam acidam corpori præbent, nocent omnibus illis, quibus acido laborat ventriculus, quibus tenuior ſanguis, laxiores fibræ, nervi languidi; cauſas morbi fovendo, omnia ſane peſſumdant, ſecretiones & excretiones turbant, perſpirationem impediunt, acrimoniam acidam augent, & plusquam ſemel ſucceſſiſſe vidi dyſurias, pruritus, verſatiles dolores. Sed mutatis circumſtantiis mutantur & vires; & dum in bilioſis morbi cauſam tollunt, ſanitatem reſtituendo, functiones ſimul, & ut alias tranſpirationem, reſtituunt. Tot utilium reſtaurator *Boerhaavius* obſoletos fructus in forum me-

(*m*) *Van Swirten* §. 88. t. 1. p. 126.
(*n*) *De arte medica* L. XII. C. VI.
(*o*) *Medicin. Stat.* L. III. Aph. 25. 27.

medicum revocavit, non ſilente invida ignorantia (*p*). Nec excidit memoria quod dum prædictæ puellæ medebar, rumor excitaretur ſucceſſu compeſcendus. Studioſus Leidenſis tanto ſopore noctu diuque premebatur, ut & inter ipſos trudiculares luſus ſæpe obdormiſceret; non deſunt certe medici, qui emeſim, acria purgantia, ſtimulantia, juſcula viperina, aliaque ejuſdem furfuris præſcripſiſſent, adit *Boerhaavium*; præſcribit vir immortalis cerafa pro victu ad libras decem & ultra quotidie, nec aliud quicquam, ſcopo nimirum phlogiſticam denſitatem ſanguinis, morbi cauſam, debellandi; mox melius ſe habuit egregius juvenis, brevi poſt, excretis copioſe turbidis, ſpiſſis, ſedimentoſis urinis, optime valebat (*q*).

Si poſt emeſim, attentum examen ſimptomatum, abdominis, excretorum, me docebat relictam fomitis partem magna non donari mobilitate, nullum evacuans remedium, niſi enema ubi quotidiana deerat ſedes, ante quatuor elapſos dies præſcripſit; quo tempore adhibui potionem ex tamarindis, manna, terra foliata tartari pro ditioribus, decocto graminis, & ſirupo acido; copiam fœtidæ materiæ educebat & quo magis eo melius, remittebant enim ſimptomata & ſæpe perfecta per aliquot horas ſucceſſit apyrexia, quam alias obſervare non licuit ante tertiam evacuationem undecima aut duodecima circiter morbi die: tunc potus acidus minori doſi præſcribebatur, & viribus tantiſper reſurgentibus, tenui diætæ paulo laxius inſiſtebant, & circa decimam nonam aut viceſimam quarta purgatione remediis valedicebant ægri, diæta & exercitio morbi reliquias ſuperantes,

 vix

(*p*) *Van Svvieten* ibid.

(*q*) Utilem ſane obſervationem ab ipſo communicatam ægro, nec in *Boerhaavii* aut diſcipulorum operibus extantem, hic invenire gratum fore credidi.

vix tamen ante ſex aut ſeptem hebdomades ſanitatem recuperantes; quo elapſo tempore lenem catharſim de novo, ſi gulæ auſcultaverant, inſtitui.

Obſervavi & nemo neſcit clinicus quaſdam eſſe idioſincraſias quæ difficillime liquidis obediunt catharticis; tunc confugi ad bolos ex tamarindis & caſſia, quibus tanquam ſtimulum addidi grana aliquot diagridii; clamorem movebunt illi qui vires medicamentorum apud nonnullos recentiores collectores didicerunt; qui vero praxi addicti ſunt & veterum opera non neſciunt, optime noſcunt diagridium optimum eſſe remedium quotieſcumque bilis tenax reſolvenda & abducenda eſt; & *Hypocratem* numquam de bile evacuanda agere (*r*) quin diagridium ſuadeat. Certe ubi ſuaſi, pro votis ſemper ſucceſſit, copioſas & bilioſas ſedes ſine torminum aut caloris incommodo procurans.

Si fomes morbidus majori gaudebat mobilitate, tunc omni biduo vel & quotidie debile decoctum purgans tamarindatum ad uncias tres hora ſexta, octava & decima propinabam, nec unquam poſt meridiem deerant duæ aut tres ſedes copioſæ; ſolo ſimilis potionis uſu ægrum ſanavi cujus morbum enarrare liceat. Juvenis viginti & aliquot annos natus vertente autumno laborabat, ruris degens; initio febris continua fuit cum exacerbationibus quotidianis; curationis director regularitate typi deluſus, intermittentem nuncupans, primo purgationes ex ſenne & rheo, tum amara omni generis, conſervam imprimis juniperi, & corticem peruvianum largiori

(*r*) Confer. v. gr. *de natura muliebri* Foeſ. p. 575. *De morb. mul.* ib. 642. *De affect. de intern. affect.* ib. 548. 558. 550. *Alexandr. Trallian.* L.VII. C. XVI. *Ætius Tetrab.* 3. S. 4. C. XXVIII. *Galenus de compoſ. Pharmacor.* L. II. C. XI.

giori doſi præſcripſit; rebus in pejus ruentibus, mandatus octodecima die, inveni, paroxiſmum invadentem ſecunda aut tertia pomeridiana, protrahi ad ſextam matutinam craſtinæ diei, calore acri fervido, acuta cephalalgia, tuſſi, vigiliis continuis, ægrum cruciantem. A ſexta matutina ad ſecundam pomeridianam febre quidem erat expers, ſed anxius, moroſus, faſtidioſus; pulſus celer, cutis ſicca, macies ſumma, genarum rubor, tuſſis, alvus adſtricta, urinæ paucæ rubræ, debilitas ſumma, tabis metus. Miſſis amaris & Kina unicam cauſæ morbi evacuationem curavi, & ſuaſi ut quater de die uncias quatuor ſumeret decocti radicum graminis & acetoſæ, pulpæ tamarindorum, & ſalis acetoſæ cum ſirupo rubi idei. Inde alvus bilem evacuavit, ſecunda uſus die paroxiſmus mitior fuit; tertia, ſomnus, fames, quietudo; intra decem dies optime valuit, qui ſaluberrimi ſed inepte adhibiti Kinæ uſu mox maraſmodeus occubuiſſet. Corticem illum jam damnavit *Baglivi* in morbis ex infarctu meſenterii & viſcerum (*s*). Revera, nullum præſtantius tonicum cortice peruviano, nullum par ſedans in ataxiis nervorum; atoniam & mobilitatem ultra omnium ſpem ſuperat; ſed quid poſſunt ſelectiſſima tonica contra morbos quorum ſanatio evacuantibus nititur. Tempus eſt ſuum amaricantibus tonicis in ægritudine noſtra, ſed numquam initio.

Medendi methodum noſtræ omnino fere ſimilem adhibuit Ill. *Vvalcarenghi*; graminacea nimirum, chicoracea, citrata, aceſcentia omnis generis. Unum eſt tamen illi familiare remedium quod in uſum vocare ſacrum ſemper

C 3 habui,

(*s*) *Prax. med.* L. I. de febr. meſenter. p. 58. de fibr. motr. ſpec. tr. poſter. libr. cap. 13. p. 388. Conf. Illuſt. *Ooſterdik Inſtit. medic. pract.* Sect. I. Cap. IV.

habui, oleum volo amigdalarum dulcium, quod ſuadebat poſt primas evacuationes, *niſi prope biliarios ductus atque in inteſtinis ipſis, magis tenax & viſcida adeſſet bilis* (*t*). Poſuerat Vir cel. humorem morbidum *ubicumque conſiſtat, partes magis diſtendere, irritare, mordere atque lacerare*; hæc vera ſunt, ſed, anne jure concluditur; ergo oleoſa. Vix crederem; pollent equidem vi partes tenſas & rigidas laxare; ſed in caſu noſtro augendo vim cauſæ irritantis, longe alium effectum habent. Talis eſt enim eorum proprietas, ut quotieſcumque multum caloris adeſt in corpore, brevi, depoſita emolliente & demulcente vi, rancidam acquirant acrimoniam; veriſſimumque hic adagium, *oleum igni addunt*. Illorum uſum in bilioſis morbis jam diſſuadet *Hypocratis* obſervatio, *quibus pingue abundat bilis flava gignitur* (*u*). Monuit *Galenus* ſuo ævo plures fuiſſe controverſias de uſu olei, quod alii acre & calefaciens, alii demulcens credebant; idque ex varia conſtitutione corporum quibus ingeritur dependere docuit (*x*). In genere video Medicos Italos oleorum uſui addictiores, ut ut illa jam damnaverit *Baglivi*, nec prorſus deſint inter illos qui *Baglivi* aſſentiantur, ſicque moneat *Bianchi* de febribus bilioſis agens: *In pluribus obſervavi poſt exhibitum in jure amigdalinum oleum, intenſiorem in poſterum febricitationem* (*y*). *Primeroſius* oleoſa & amigdalina in febribus, rancoris metu, ſuſpecta habebat (*z*) & verbo, in morbis magno ſtipatis calore celeberrimi practici, teſtis

(*t*) *Medicin. Rational.* §. 341.
(*u*) *Epid.* L. VI. Sect. 6. Foeſ. 1190. A.
(*x*) *De ſimplic. medicam. facultat.* toto ſecundo libr.
(*y*) *Hiſtor. hepat.* par. 3. p. 698. vid. loc.
(*z*) *De febrib.* L. II. Cap. IX. p. m. 143. 145.

ſtis ſit inſtar omnium Ill. *Van Svvieten* olea formidant (*a*). Quantum ergo vitari debet, ubi focus caloris eſt illa ipſa pars cui applicantur; ubi putridum adeſt fermentum illorum corruptionem juvans; ubi metus eſt obſtructionis hepatis cui valde favent; autumno anni elapſi teſtis adſui morti, potiuſquam Medicus morbo fœminæ hepatitide ſæva necatæ quam ſibi conciliaverat, dum per plures hebdomades vix quicquam aliud comederat præter juglandes nuces, & gravamen quod ventriculo relinquebant potu Coffe quater de die diſſipare conata erat. Vidi ſæpius olea, corporibus nec putrido nec inflammatorio morbo laborantibus, præſcripta ſcopo irritatos nervos demulcendi & laxandi, oppoſitos obtinuiſſe ſucceſſus: ſenſationem enim caloris, acrimoniæ, doloris in inteſtinis inducebant, appetitum delebant & alvum adſtringebant, tum ob acrimoniam propriam ex rancore ortam, tum ex perverſa natura bilis, & hujus actione in inteſtina impedita. Repudientur ergo olea quotieſcumque bilis, putredo, calor & laxitas adſunt; caute alias præſcribantur. Illorum damna cavet & vires egregie ſervat ars emulgendi; *dum enim oleoſa ſemina cum aqua teruntur, dant lacteum liquidum molliſſimum, in quo idem hoc oleum eſt, ſed ſic mutatum,* (a farina proculdubio reliqua) *ut non ranceſcat ſed aceſcat citiſſime* (*b*). Et verum eſt, in morbis inflammatoriis, emulſa totam abſolvunt curationem; ſed in morbis bilioſis melius mihi succèſſit, niſi in paucis caſibus exceptis, abſtinere; ut ut enim rancoris metus abeſſet; tamen

(*a*) Aph. 35. p. 46. *Omnium peſſima olei cujuſvis blandiſſimi etiam corruptela. Preſſum ex amigdalis oleum ſuaviſſimum, intra paucos dies ſic corrumpitur, ut ex miti acerrimum fiat, & deglutitum fauces exurat.* ibid. Aph. 89. p. 130.

(*b*) *Ibid. Aphor.* 88. p. 127.

men cum nulla ſpes eſset, tantam putridi quantitatem inviſcare, longe præſtabat fortiora adhibere acida quæ corrigendo ſimul reſolverent, quorum priorem ſcopum vix, ſecundum minime tetigiſſent emulſa; quorum præterea vim relaxantem metui; nam tametſi ſtimulo irritarentur fibræ, ſemper aderat atonia, perpetua putredinis comes ſumme noxia & quam auxiſſent emulſiones. Turpiter enim damnoſeque hic & in aliis nonnullis caſibus errant dum irritationi ex ſtimulo mederi conantur laxantibus, ut tenſioni ex rigiditate (*c*).

Aliud eſt genus remediorum in hiſce morbis valde quoque decantatum, de quo ſilere non licet cur illud in uſum frequentius non vocaverim; ſera lactis intelligo, *ſerum* nimirum ſic dictum, ſeu ſerum caſei, & lac ebutiratum ſeu ſerum butiri, *quod acidulo ſapore adeo placens ſaluberrimum auxilium dat in omni morbo putrido* (*d*). Primum egregium eſt diluens & ſapo vegetabilis quem aliquoties ſcopo purgandi cum tamarindis & minuta tartari emetici doſi adhibui; pro potu ordinario rariſſime preſcripſi, 1. quia facillime nauſeant egri; 2. propter nimis laxantem vim, & plures novi ægros poſt illius uſum de gravitate ventriculi & anxietate conqueſtos fuiſſe; 3. quia jam jam memora-

(*c*) Periculum ſubeſſe ſi morbi putridi ut inflammatorii curantur, monuit *Junkerus conſp. med. theor. pract.* tab. 62. Si quis tamen emulſis addictus eſt utilem formulam inveniet in libello *Boerhaavii de mat. med.* Sect. 88. n. 5.

(*d*) *Van Swieten* Aph. 88. pag. 126. Vide quoque de egregiis viribus hujuſce medicamenti teſtimonia Illuſtriſs. Virorum *J. Gorter Medicin. Hypocrat.* Aphor. 257. *Tralles de cholera morbo* p. 297. *Pringle de morb. exercit.* par. 3. C. III. p. 248. *Kloekhof Hiſtor. febris colenb.* paſſim, *De Haen de deglutitione impedita* p. 47.

morata remedia tanquam magis aceſcentia longe felicius ſuccedebant ; 4. demum quia non ſemel obſervavi quod licetſi prima degeneratio ſit acor ſæpe tamen mox in putrilaginem vertatur, & ægros inveni, quibus poſt aliquot horas ructus nidoroſos movebat. Fuit tamen illi ut & emulſis ſuus uſus, ſi nimirum diatheſis phlogiſtica adeſſet ; ſic elapſo vere juvenemilioſæ conſtitutionis, cui ineunte hieme adſtringentia & rhei copiam, dyſenteriam ſanaturi propinaverant, tunc vero bilioſa ſebre & humore rheumatico diaphragma obſidente graviſſime laborantem, optime curavi continuo & copioſo uſu ſeri lactis leviter tamarindati, decoctique hordei cum ſucco acetoſæ & ſedi majoris vermicularis (*e*), edulcorante ſirupo ceraſorum acidorum ; nec non enematibus & epiſpaſticis plantæ pedum applicatis.

Lactis ebutirati cujus vires longe præſtantiores inveni in morbis bilioſis, uſum communem prohibuerunt, tum methodus qua in hiſce regionibus præparatur ita ut pingue ſæpe remaneat quod peſſimum ; tum diſtantia locorum e quibus exportari debet : ſed Deo dante non defuerunt quæ illorum vices gererent, ut ex ſuperioribus patet.

Sta-

(*e*) Plures ſunt ſedi ſpecies, ſedum majus & minus refrigerante antiſeptica virtute gaudent ; ſedum acre, antiscorbuticum eſt in uſum vix trahendum ; ne funeſtus oriatur error de illis botanice conſulantur Ill. *Ludwig* & *Linneus*, Prior, *definit. plantar. num.* 613. poſterior, *gener. plant. de dodecandris polygyniis* ; Tum utilis *Dales Pharmacol.* L. II. ſect. 16. ubi ſic ſedum majus commendat, *uſus præcipuus intrinſecus in febribus bilioſis, ſedat ſitim & compeſcit ardorem.*

Status tertius.

Tertii ſtatus eadem ac ſecundi cauſa, ſed fortior; eadem ergo medela ſed & pariter fortior. Evacuationes ſimili modo celebrabantur niſi *cruditas ſupra evacuationem* adeſſet, tunc enim coctioni incumbendum erat, & ubi humores cocti erant, poſt emeſim alvum ſollicitabat decoctum hordei cum foliis aut ſale acetoſæ, pugillo florum roſarum rubrarum & tamarindis: Prima vero emeſis nunquam niſi damnoſe omiſsa eſt; ſubſequente ſemper foetida illa diarrhea quam ſupra narravi; quod apprime congruit *Sidenhamii* obſervationibus (*f*).

Quoad potum, in febribus cremonenſibus peſſimi generis adhibuit Clar. *Vvalcarenghi* ſuccum malorum punicorum copioſe aquæ inſtillatum; egregium ſane remedium, jam a veteribus imprimis *Alexandro* (*g*) laudatum & omnibus medicis adamatum; præterquam enim ſumma vi antiputrida gaudet, tonicum & incraſſans egregium aliis præſtat in noſtro caſu acidis vegetabilibus quorum pleraque nimis ſolvunt, optime enim vim acerrimam tenuis putridi caſtrat, & ſimul fibris novum mutuat robur quo reſiſtant diſtenſioni quam intendunt flatus putredine generati, quibus ortum debet ut jam dixi meteoriſmus ille tam ſiniſtri præſagii, probat enim & ſummam fomitis putredinem

(*f*) Sect. I. Cap. IV. p. m. 31.

(*g*) *De arte medic.* Libr. VII. Cap. XV. ſed ſuccus malorum punicorum eſt aſtringens, regeret forſan aliquis; anne licet adſtringentia in tali morbo adhibere? Reſponſum non neſciet, qui veram artis theoriam callebit, & jam reſpondit idem *Alexander*, mali punici grana, inquit, *ſanis alvum aſtringunt, ægris autem non item*, ibid. lib. VIII. Cap. VIII.

dinem, & ſummam ſolidorum abdominalium debilitatem. Lugendum vero quod defectu malorum punicorum vetita fuerat egregia medicina; illorum loco fauſtiſſime ſubſtitui ſpiritus acidos minerales dulcificatos ſalis marini, nitri, vitrioli, & inprimis ſulphuris; *nam ubi putridum adeſt una cum nimia diſſolutione humorum jam præſente, vel ſi brevi futura metuitur, tunc acidi ſpiritus vi ignis, ex ſale marino, nitro, vitriolo expreſſi, ſummum uſum habent; efficaſſime enim omni reſiſtunt putredini, dum ſimul non diſſolvunt humores noſtros, ſed coagulant potius. Huic ſcopo pulchre inſervit ſpiritus ſulphuris per campanam dictus, qui puriſſimum acidum foſſile, nihil metallici in ſe habens præbet* (*h*). Et verum eſt; ſi alicubi proſunt hic ſane, ubi tanta putredo, tanta diſsolutio, & tanta laxitas: illa præſcripſi vel in aqua pura fontana, vel in decocto radicis & foliorum acetoſæ, florum roſarum rubrarum & quandoque ſirupo ruborum; hordeaceum additis floribus roſarum rubrarum vehiculum egregium quoque præbuit; omni ſemi hora uncias duas potabant, & nulla alia carminativa in tanta pneumatoſi adhibere licebat nec præſtantiora inveniri potuiſſent (*i*).

Urgens in hoc ſtatu obſervabatur ſimptoma prioribus alienum; delirium ſcilicet continuum, non tantum peſſimi præſagii, ſed quod præterea tanquam cauſa nocebat; ſumma enim agitatio quam plerumque generabat, omnem arcebat ſomnum; calorem, anxietatem, jactationem fovebat, & ſæpe renitentes remediis evadebant ægri. Illud autem multis tribui cauſis;

1. vi

(*h*) *Van Swieten* aphor. 88. pag. 127. confer. *Boerhaavii Chymia* tom. 2. proc. 151. p. m. 270. *Sennert de febrib.* Lib. II. Cap. VII. ubi pulchra habet de acidorum mineralium uſu,

(*t*) *Van Swieten* aph. 650. t. 2. p. 241.

1. vi febris: 2. meteoriſmo, inde enim reſpiratione impedita pulmonique loco expanſionis deficiente (unde ſumma anhelatio) (*k*), arteria pulmonalis imperfecte evacuabatur: auricula dextra turgida ſanguinem cavę aſcendentis excipere impotens, vertebrales & jugulares evacuari præpediebat. 3. humori acri bilioſo ad origines mentis delato. 4. demum *conſenſui*, irritatis enim nervis abdominalibus & phrenicis compati cerebrum priſcos docuit obſervatio, cauſam detexit recentiorum induſtria & præ cæteris attente legi merentur quæ ſcripſit Illuſtr. *Senac* (*l*). Morbi cauſæ medendo, delirio ſimul medebatur, & *Hypocrates* jam ſcripſit de delirio bilioſo, *alvus curanda acetum mel & aquam exhibendo* (*m*), totaque noſtra curatio erat in febrim moderandam, bilem tum alvinam tum ſanguini mixtam abducendam & corrigendam, meteoriſmum compeſcendum; ſupererat ergo frangere partes quas conferebat ſympatia, & cum lex ſit humanæ machinæ indita, morbum ex conſenſu nervoſo minui contraria irritatione, ſuadebat ratio inferiores irritare partes. Ex notis irritantibus in uſum præſertim veniunt & omnium citiſſime operantur cantharides; inde more abruptus emplaſtra veſicatoria primum ſuaſi, ſed pro votis

non

(*k*) De vitiis reſpirationis ex infarctu abdominis legatur. perpulchra diſsertatio de *reſpiratione difficili* (§. 163. 166. 167.) quam nuper promulgavit Illuſtr. F. *De Sauvages*.

(*l*) *Eſſays de Phiſique* capitulo *les mouvemens ſympathiques*; De conſenſu plures alii ſcripſerunt lectu digni, F. *Bayle*, C. *Vvalther*, H. *Rega*, E. *Buchuner*, D. *Langhans*; Illuſtr. *Haller* varias conſenſus claſſes conſtituit illa ſagacitate & acribeia qua nitent omnia opera; *lin phyſiol.* §. 555. cujus principia ſequutus eſt & doctrinam expoſuit Cl. *Langhans*.

(*m*) *De affectionib. Foeſ. p.* 518.

non ſuccedebant novique deinceps non ſucceſſiſſe felicius Clar. *Vvalcarenghi*, *certe numquam veſicantibus credere aut fidere tantum potui quantum alii indiſcriminatim faciunt* (*n*). Teſtatur pariter *Borelli nihil auxilii tuliſſe veſicantia*, *etenim omnes ad tumulum*, *brachiis pedibus & aliis partibus exulceratis delati ſunt* (*o*). In memoriam revocavi obſervationem viri in arte egregii C. *Richa* qui in utili nec ſatis noto opuſculo teſtatur, in febre putrida Taurinenſi, *veſicantium applicationem minus proſperam compertam fuiſse*, additque paulo poſt, *ubi humores ad fluorem proni ſunt*, *ubi acriores iidem ac effrenes*, *ubi ſufflaminandus potiusquam ſtimulandus cruor*, *nihil iis noxium magis nihil magis pernicioſum* (*p*). Toties jam citatus *Van Svvieten* notat *quod ubi humores diſſoluti acres*, *in putredinem vergentes*, *& magnus motus adeſt*, *non adeo tuto adhiberi poſse videntur* (*q*) & Clar. *Guideti tum ratione tum experimentis ſuffultus ſtabilit veſicantia bilioſis cujuscumque generis febribus*, *ut ut contumacioribus*, *præcipue ſi bilis acrior fervensque*, *partes*, *atque cruorem afficiat*, *vix eſſe proficua* (*r*). Mox ergo matato conſilio

(*n*) *Medicin. rational.* §. 351.

(*o*) *Epiſtola ad Malphighi* p. 28. Notat *Glaſs* in hunc locum, (*Comment.* pag. 116.) *quam inepta fuerint veſicantia cuti admota ad humores corruptos*, *circa ventriculum hærentes educendos*: Sed non ſatis ad omnes effectus irritantium attendit vir egregius quorum præcipuus eſt contra-irritatio; præterea larga ſupuratio plures bilioſos ſpiculos abducit ſanguini immixtos; nec *Borelli* verum nec alius credidit unquam inde evacuari cacochiliam abdominalem, ut ſuadere videretur Cl. *Glaſs*.

(*p*) *Conſtit. Epidem. Taurin.* ann. 1720. §. 32. conſer. *Baglivi de uſu & abuſu veſicant.* p. m. 647. &c.

(*q*) Aph. 75. p. 108.

(*r*) *Bianchi hiſtor. hepat.* p. 3. p. 307. vid. loc.

lio, miſsisque cantharidibus confugi ad epiſpaſtica ex fermento, acerrimo aceto & largiori ſeminis ſinapeos doſi, quæ ſuris vel ſæpius plantis pedum applicari curabam (*s*). Nec minori vi quam veſicatoria irritabant, nec eadem damna inducebant ac cantharides, quarum tenuiſſima alcalina pars reſorpta & ſanguini mixta illius putredinem juvat, ſicque morbos putridos auget; dum e contra partes acidæ ſinapiſmi continuo bibulis inſpiratæ venulis, vim putridi humores inficientis indeſinenter caſtrant. Eventus theoriam confirmavit, lætus enim pluries, utinam ſemper, obſervavi intra duodecim horas rubedine ſumma affici plantas pedum, ante triginta prægrandes natas eſſe veſicas multum liquidi flaveſcentis fundentes. Poſt primum nictimerum, ſi fauſtus ſperandus fuit exitus, ſenſibili modo remittebant jactatio & motus tendinum ſubſultorii, delirium nondum prorſus deſinebat ſed pacatius delirabant, & intra triduum ſapiebant; alvina medicamenta pleniorem ſortiebantur effectum, & ſomnus quidam jam ſuccedebat. Evenit quod incuria aut moroſitate remotis veſicantibus ante veſicularum ortum, profuerit nihilominus inducta irritatio; & circa dies quibus fuſa jam movetur materies ad maculatos locos immenſa confluxerit acerrimi ſeri diluvies qui alioquin ad nobiliores ruiſſet; inde patet uſus remedii & conſonat aphoriſmo *Hypocratis*, *ſi quid doluerit ante morbum, ibi ſe figit morbus* (*t*).

Quandiu craſſa illa epidermica ſolea qua quisque

(*s*) Apprime recordor me quondam apud *Galenum* legiſse, locum vero non reperi, prodeſſe iis quibus ventriculus diſtenditur flatibus, ſpongiam aceto acerrimo maceratam brachiis & pedibus apponere, usque dum phlictenæ fierent.

(*t*) Lib. IV. Aph. 33.

que fruitur non deciderat ſinapiſmi uſum non deſerui, quod ſemper multum ſeri & tenuioris puris educebat; ſimul ac vero poſt ſex ſeptemve dies fruſtulatim omnino abiverat leniſſima adhibebantur balſama ad perfectam usque ſanationem, nec tuliſset acriorum applicationem cutis, nova adeo tenui epidermide tecta.

Aliud datur remedium ſinapiſmis modo applicandi affine, effectu diverſiſſimum, quod tamen ſollicitant ſæpe adſtantes & non ſemel ſuaſerunt medici plebeie docti animalia nimirum viva aut partes animalium quas plantæ pedum applicant, ſcopo malignitatem educendi: teſtemque uſus adducunt ſummam putredinem qua citius fœdantur: non attendentes eamdem ſucceſſiſſe corruptelam in alio loco quocumque pariter calido & humido. Quęnam ergo ſpes ex tali applicatione concipienda? Nulla ſane, nec irritat quicquam enim, ſicque nullam movet revulſionem; nihil habet antiſeptici quod reſorbtum putridam humorum alterationem cohibeat; nihil evacuat; nullo ergo prodeſt titulo; nocet vero quatenus & noxium ſovet calorem, & cito putreſcens, fons evadit effluviorum ſepticorum quæ bibulis abſorbta venulis vim morbi intendunt.

Si tum externorum tum internorum remediorum uſu, circa decimam quintam, aut ſeptimam diem, copioſę, coctę, bilioſæ, voluntariæ ſedes egerebantur; ſi delirium prorſus ſedabatur, ſola remanente cerebri debilitate; ſi urinæ oleaginoſam faciem deponentes æquabiliter turbidæ primum, tum & ſedimentoſę fiebant (*u*); ſi lingua madeſcebat; ſi lemoſitas ocu-

(*u*) Non ſufficiebant criſi urinæ, ſed coctam jam eſſe morbidam materiam & utiliter prodire ſedes teſtabantur; ſimulque evacuabant illam partem fomitis quæ vaſis transmiſſa fuerat; nam ut recte obſervarunt

oculorum & ſordities dentium minuebantur; & quod ſemper optimum fuit præſagium ſi cutis molleſceret, absque viſcido illo frigidoque ſudore, mortis nuncio, tunc ægri res ſalvas habui, & mox, immutatis, ſed minori doſi propinatis remediis convaleſcebant. E contra, ſi optima medela in caſsum adhibita, omnia remanebant ſimptomata capitulo de hiſtoria morbi deſcripta, & ultra decimam ſeptimam diem protrahebantur, pauca, vix ulla remanebat ſpes. Memini tamen quod ſub finem menſis Septembris pro fœmina trigenaria macilentæ conſtitutionis a duodecim ægrotante diebus mandatus fuerim, cujus morbus eumdem non obſervavit greſsum: curæ præfuerat ſupra laudatus Clar. Collega; omnibus peſſimis ſimptomatibus, petechiis exceptis premebatur, & tam ſapienter inſtituta erat medela ut nihil mutandum invenerim; nihil tamen proficiebant egregia remedia. Sedes copioſæ, ichoroſæ, valde fœtidæ, involuntariæ, delirium continuum, meteoriſmus ſummus, pulſus nefandus. Potum acidum gratum adhibuimus, & omni biduo electuarium ex tamarindis caſſia & rheo Clar. *Kloekhof* familiari (*x*). Memoria excidit cur initio emeſis & deinceps dærivantia omiſſa fuerint. Talis ſtatus, qui quotidie craſtinæ mortis metum incutiebat remanſit ad viceſimam ſextam usque diem, qua tandem cum omnibus fauſtioris ominis memoratis ſignis, copioſiſſimæ ſedes, non ut priores cadaveroſæ, ſed vere bilioſæ, ſanationem brevi adduxerunt. Viceſima martis anni 1756. aliam vidi fœminam ſupra quadraginta annos natam, ſeptem ni fallor liberorum matrem a novem jam diebus

runt veteres, *renibus fiunt criſes* venarum, nec unquam ſanatio ſedes ſubſequnta eſt, quandiu crudæ remanſerunt urinæ.

(*x*) *Opuſcula medica* p. 104.

bus decumbentem, &, quod miratus ſum, faciem prorſus mutatam & fere cadaveroſam habentem (y); ſuaſu neſcio cujus purgata fuerat cum ſenne & ſalibus; & copioſe deinde ingeſta cardiaca calida ſcopo debilitatem, & ventriculi languorem debellandi. Pulſum inveni debilem, abnormem, vires prorſus deperditas, cerebrum pacate occupatum, ſedes a biduo nullas, tremorem fere continuum. Lene propinavi emeticum valde dilutum; materiem evomuit virido-nigreſcentem, ſed cum adſtricta remaneret alvus, quod phœnomenon alias accidiſse non memini, & cujus cauſa erat procul dubio ſiccitas inteſtinis uſu calidorum remediorum inducta, enemata plura adhibere debui; vires tantisper inſurgebant, pulſus elatior, ſimptomata vero cum febre increſcebant; potus valde aceſcens reddebatur: ſinapismos applicari juſſi, ſed cum ſegnius agerent promptaque egerem revulſione, alios ſuris, aſperſos cantharidibus, apponi curavi: per aliquot horas omnia in pejus ruere videbantur; imo ut ut ſuris copioſe effluxiſſet ſerum, jamque plantæ pedum pluribus fœdarentur veſiculis quæ apertæ plurimum ſimilis humoris eructabant, tamen, (quod tribuebam parco potui in moroſiſſima ægra), nihil remiſit morbus per duos dies: decima octava tamarindos & mannam ſecundo propinavi, ſedes pro votis, nulla remiſſio: veſpera viceſimæ ſummum imminere videbatur periculum ex meteoriſmo, delirio, deficiente pulſu, ſomnolentia, jactatione, ortopnea, deglutiendi difficultate; cum vero, cutim molliorem invenirem, nullæ adeſſent petechię, inſtaret viceſima prima, abdomenque borborigmos ederet; materiem morbi coctam & motam criſimque molientem incuſans, adſtantium ſpem auſus ſum erigere; & limonati uſum cum pauxillo

(y) Vide Foeſ. p. 231. lib. 7.

vini ſuaſi ſi poſſibilis deglutitio: quo tempore enim fores pulſat criſis, acida mineralia omiſi, nec pœnituit. Media circiter nocte copioſe, impetuoſe, inſcie, alvum depoſuit indeſinenter fere per ſemihoram. Debilitas inde ſumma, aſphixiæ plures, reſpiratio non anhela ſed fere nulla, ſopor vix excitandus, agonem credunt omnes (z). Primo diluculo arceſſitus chirurgus vulnera curare ſupervacaneum habuit; paulo poſt accedens ſpeciem ſomni potiusquam lethi inveni; lenta erat ſed facilis reſpiratio, exiliſſimus ſed melius ordinatus pulſus; abdomen detumuerat. Suaſor fui ut crura curarent, limonatum cum dimidia vini parte ori ſubinde inſtillarent; lintea madida mixtione ex partibus æqualibus vini, aceti & aquæ abdomini & pectori tepide omni hora applicaſent, & locos quibus majora proſtant vaſa eodem liquore ſæpe madeſacerent. Senſim inſtaurabatur pulſus, reviviſcebat faciei color, compoſito placidoque fruebatur ſomno; nec tamen, niſi craſtina excitata die, triginta & ſex horis poſt criſim, triduo fere poſt primum ſomnolentiæ ingreſſum; ſat cito, alvo bilioſa egerente convaluit: conſentientibus effatis *Hypocratis* qui ſomnum inter criſes cephalalgiæ febrilis recenſet (a). Status enim lethargicus ante omnem aliam criſim primum fuit ægræ noſtræ ſolamen. Criſim novus excepit ſomnus, quod optimum, inde enim illius arguit ſecuritas,

(z) Haud abſimilem refert hiſtoriam *Hypocrates* de *Timocrate* Epidem. Lib. V. Foeſ. p. 1142.

(a) Coac. prænot. §. 172. Foeſ p. 145. *Duret* L. II. Cap. I. §. 15. pag. 88. Alius eſt locus *Hypocratis* huc referendus, ſic quærit *prorretic.* L. I. §. 63. *animadvertendum eſt diligenter num profundus & altus ſomnus ubivis damnari* debeat? Unde ſatis intelligitur obſervationes aliquas locum feciſſe dubitandi; Eadem ſen-

ritas, *profundi ſomni neque turbulenti, judicii firmitatem denunciant* (*b*).

Aliud exemplum veritatem Hypocraticæ doctrinæ confirmans, quod memorari non inutile credo, præbuit idem ille vir cujus cadaver inciſum. Dum enim ultimis morbi diebus totum corpus purulentis puſtulis tegeretur, inde ſpem concipiunt agnati quam erigit medicaſter; ego *Hypocratis* authoritate fretus illas certæ mortis præſagium credidi, *quibus enim per febres aſſiduas, puſtulæ toto corpore enaſcuntur lethale eſt* (*c*).

Hęc fuit hiſtoria morbi & remediorum; mirabuntur forſan vel potius increpabunt plures, tenacitatem illam ejusdem remedii, ne quidem ſæpe mutata toto decurſu morbi formula. Sed quid? Anne illos imitabimur ad morbi cauſam ne minimum attendentes, ſolis ſimptomatibus obtemperantes, indeque continuo ceſpitantes, ſingulis viſitationibus plures formulas, vel inter ſe, vel antecedentibus valde ſæpe contrarias præſcribunt? Vegetus homo pane aqua & lacte nutritus per triginta luſtra vivit & valet, vix decem inter infirmitates attingunt, qui quotidie nihil aliud ſtudent niſi novas alimentorum pręparationes: anne tantopere mu-

tentia in coacis no. 178. legitur, ſed cum codices non perfecte inter ſe congruant, & in quibusdam deſit ϰρα γε, alii interpretes ut *Foeſius* ſimpliciter legunt *ſopor profundus & altus omnino damnandus*. *Duretus* vero *ſpiritus Hypocratis* (verba ſunt *Baclivi*) dubitationem ſervat & legit, *an ſapor ubivis malum?* p. 91. Sed controverſiam dirimunt obſervationes, & docent ingruentem ſoporem, dummodo non oriatur ex metaſtaſi ad cerebrum ſemper prodeſſe, dum enim ſic componitur tumultus, felicius ſuccedunt criticæ evacuationes.

(*b*) *Coac. prænot.* §. 151. Nec explicatione eget hic aphoriſmus.

(*c*) *Coac.* §. 119. *Duret* p. 59.

tata morbo humana fabrica, ut vix per aliquot hebdomades prodeſſe poſſint eadem remedia? Minime ſane; nec mutationem nec remediorum compoſitionem gaudet Natura, nihil magis metuunt ægri quibus nauſeam tollit conſuetudo; unica formula acutos plures, unica chronicos ſæpe ſanavi morbos; alia recidivam præcavi, conſtantiæ nunquam pœnituit, pœnituit verum inconſtantię, quam ridet naſutus ſpectator, & æger omnem abjicit fiduciam. Præter ptiſannam, oximel & pauciſſima alia nihil adhibebant veteres; quorſum ergo tot mutationes? Quot inde mala? Perpetua circa vires medicamentorum caligo, morbi incrementum, medici dedecus, ęgri timor. Cognita morbi cauſa præſtantiorem medelam protinus adhibeat medicus, & ſi acu rem tetigit omnis abſit variatio. Licet ignaris aſſeſſoribus inutilitate crepare remedium quod intra aliquot horas ſævum non dirimuit morbum: ſed gnarus eſt medicus ſua morbo eſſe tempora, nec quicquam ante tempus, vel ſelectiora medicamenta valere; non neſcit quosdam eſſe morbos ſupra omnem vim medicinę. Nec inde ſemper repudiandum remedium quia ad lethum ruentem morbum ſiſtere nequit. Menti ergo ſemper obvium ſit præceptum *Hypocratis* & monitum egregii interpretis *Gorteri omnia ſecundum rationem facienti & non ſecundum rationem evenientibus, non tranſeundum ad aliud, manente eo quod viſum ab initio* (*d*). *Quæ enim morbi cauſa cognita, probatis non cedit remediis, incertis non eſt tentanda: Et quam primum rationalis medicus conatur experimento vago tollere morbi cauſam, nihil differt ab idiota & temerario qui tentandi gratia omnia experiuntur* (*e*). Plura circa momentoſum caput dicenda,

(*d*) Aphor. Lib. II. §. 52.
(*e*) *Medicin. hypocr.* comment. ibid.

da, quæ nec tempus nec locus ferunt; Patebit infra, præter uſurpata prædicta remedia haud plura eſſe in morbo noſtro innocua.

Diæta ægri.

Aerem & alimenta regit Diæta ægrorum. Aerem, quantum potui, frigidum & ſæpius renovatum in cubiculo procuravi; aere enim calido nihil magis juvat putredinem, & reſpirationem lædit, & ex ſola illa cauſa in immenſum creſcere poſſunt febris, anxietas, delirium; longe magis adhuc nocet, ſi calefactum fuit putridis effluviis tum ægri tum adſtantium, quod numquam non evenit, quotiescumque pluries de die non renovatur. Vix peſtilentiores dantur morbi quam illi qui generantur in locis in quibus plures colliguntur homines immutata aura. Nec quicquam aliud magis ægrotanti & ſanæ nocet plebi quam illa acribeia qua tum ſegnitie tum refrigerii metu, clauſis ſemper cubiculorum feneſtris, atmosphæram perpetuo inſpirant expiratione hominum, brutorum, alimentorum & excrementorum fœdatam. Aceti fumus multum ſæpe profuit.

Quoad alimenta duo ſunt precepta a quibus recedere nequit medicus, primum ut vires digeſtivas non ſuperet quantitas, ſecundum ut qualitate morbi cauſæ oppoſita gaudeant. Hic ſane tenuiſſimam diætam imperabant, tum ipſe ventriculus omnia faſtidiens, tum ratio; turgente enim ventriculo putridis ſordibus, omnis perverſa eſt vis digeſtiva; quid prodeſſent alimenta? Mox vomitu rejiciuntur, quod non ſemel accidit; vel ſi, quod longe pejus, remanebant, novum gravamen ventriculo, novum febri incitamentum & pabulum præbebant. Nihil nutrit niſi quod digeritur, nihil

vel perparum bilioſo ſcatens humore ventriculus digerit. Sed hæc intelligere nequeunt neceſſarii, damnoſum grex; intelligere nequeunt aliud eſſe replere, aliud diverſiſſimum nutrire, & quicquid non nutrit ægrum, nutrire morbum, *impura corpora quo magis nutriveris eo magis lædes* (*f*); non novi utiliorem inter ſententias *Hypocratis*, non novi frequentius in perniciem generis humani violatam.

Impares erant vires ventriculi digeſtioni ſolidorum, liquida ergo tantum diſtributu facillima adhibui, ea ſemper uſus *Hypocratica* lege, ut quo vehementior febris eo tenuior diæta.

Secundum erat ut eligeretur nutrimentum quod cauſæ morbi adverſum putreſcere nequiret, adhibuit ſummus in arte magiſter duplicem ſuam ptiſannam quæ nihil fuit niſi decoctum hordei: palmam meruit in morbo noſtro avena excorticata, *nulla enim fermentacea ſpecies optima eſt quam avena, juxta experimenta ſumpta, ad citius debellandum alcali* (*g*). Non minori vi juxta Ill. *Van Svvieten* pollet ſecale, ſed cum modus parandi hic non ſit uſualis ſolam adhibui avenam, non illa tamen rigiditate, quin, alias cerealium aceſcentium præparationes permiſerim, ſed plerisque palatis avenæ noſtræ ſapor arridebat. Optimus præparandi modus fuit ſi cum aqua decoqueretur, & poſt decoctionem colaturæ adderetur modicum ſaccari, ſalis mitiſſimi, antiputridi, reſolventis, minime hic metuendi; ut uncias tres omni trihorio ſumeret. Non obſui quin decoctioni adderetur fruſtulum junioris gallinę aut pulli gallinacei; avena enim aut aliis cerealibus nutriti jus præbent ſponte aceſcens.

Sem-

(*f*) *Aph.* L. II. §. 10.

(*g*) *Boerhaave praxis medica*, collectore ignoto diſcipulo T. I. p. 193.

Semper vero diſſuaſi uſum butiris, illis ductus argumentis quibus oleoſa impugnavi; aliquoties ſimplicia pullorum decocta, ſi inſtillaretur expreſſus ſuccus acetoſæ egregium quoque prębuerunt nutrimentum; dum agit de curatione febrium putridarum ſimilia ſuadet celebris quondam *Philippi* ſecundi Archiater Lud. *Mercatus*, *commune inquit omnibus alimentum eſt jus pulli cum lactucis vel cucurbita decocti, panatellam etiam ex jure pullorum & ſaccaro cum ſucco limonum aut aceto guſtui gratiſſimam eſſe comperimus; præſtantiſſimum etiam efficitur alimentum ex jure panis cum ſaccaro & modico ſucco limonum* (*h*). Nihil magis odi quam ſucculenta illa fercula ex juſculis bovis, gallorum gallinaceorum, columbarum, agnatis adeo deamata, bilioſo verum ventriculo indigerendum farcimen præbentia: & quorum furtivus uſus non ſemel vehementes exacerbationes induxit, imo plures orco tradidit. Prodeſſe poſſunt ventriculis acida laborantibus cacochilia, quam ſpontanea putreſcentia infringunt; in morbis vero putridis non aliud niſi veneni nomen merentur. Quid de lactis uſu? Reſponſum præbet *Hypocrates*, *lac dare capite dolentibus malum. Metiam febricitantibus, & quibus elevata ſunt hypocondria murmurantia, & ſiticuloſis, malum autem & quibus dejectiones bilioſæ, & iis qui in acutis ſunt febribus* (*i*). Nec latet ratio, multum enim nutrimenti pinguis ſumme noxii in lacte reperitur.

Potu alio non uſi ſunt quam ptiſannis prædictis quas frigidas ſemper hauriebant; quantum enim proſunt tepidi hauſtus ubi nimia adeſt rigiditas qualis in inflammatoriis reperitur, tantum nocent in putridis & laxis morbis,

(*h*) *Opera medica* T. II. p. 386. confer. *Fernel* pag. 389. *Primeroſius* aliique.

(*i*) Lib. 5. aph. 64.

bis, *nam calida faſtidia generat, cibi aviditatem minuit, viſcera contriſtat dejicitque eorum vires, nervos effeminat, mentis torporem efficit, animi deliquia, ſanguinis profuſiones* (*k*). Ubi nimius non ſæviebat febrilis calor, lubens ſuaſi vinum, quo præſtantius & jucundius cardiacum ſimul antiſepticum & diluens non novi (*l*), quod clar. *Vvalcarenghi* probatum vidi; *congruum pluries fuit remedium malvaticum meracum vinum, cujus ope ventriculi atque inteſtinorum fibræ, magis elaſticæ redditæ biliosum facilius expellebant humorem* (*m*). Vini laudes ubique arripit *Hypocrates*, & in febre bilioſa nobis viam jam præmonſtravit *Galenus* egregiaſque tradidit cautelas, *a vino antequam morbus concoquat omnino abſtinendum, at ubi concoqui cœperit dandum eſt tenue, aquoſum, & paucum vinum, ubi vero jam prope eſt ut morbus ſolvatur, amplius eſt offerendum* (*n*), & in nonnullis nullum par remedium inveni mixturæ ex uncia una vini ſyracuſini æquali quantitate aquæ fontanæ, & dimidia ſirupi ceraſorum acidorum ter quaterve de die: hauſtus ne minimum quidem caleſaciens ſed temperante potius vi gaudens, appetitum vires & animos erigens, coctionem & ſecretiones juvans & quem in omni languore bilioſo feliciter uſurpavi & uſurpandum ſuadeo. Loco ſirupi ceraſorum alius qui-

(*k*) Lib. 5. aph. 16. *Galenus* in commentario, *de ſanitate tuenda* & paſſim.

(*l*) In ipſis morbis inflammatoriis, tempore accedentis criſes, pulchre mihi ſæpe ſucceſſit, ſi ægro cochlear unum vini mollis & grate cardiaci omni trihorio propinarem; inde enim ſine tumultu mire erectæ vires, feliciſſime hoſtilem materiam expellebant.

(*m*) *Medicin. rational.* §. 345.

(*n*) *De ratione medendi ad Glauconem* L. I. C. IX. T. VI. p. 377.

quilibet vel ſuccus citri addi poteſt. Diæteticorum eſt pariter alia potio quam ſæpe convaleſcentibus præſcripſi, ſcopo fibras laxas ventriculi reſtituere, ſimulque quiſquilias putridas ſi quæ ſupereſſent prorſus delere, ſpiritum ſcilicet ſalis cum ſirupo corticis aurantiorum & aqua vel fontana, vel ceraſorum nigrorum aquoſa.

Ubi diſceſſerat morbus & omni febrili ſimptomate liber æger ſola premebatur debilitate, plenior diæta concedenda fuit, cujus hæc erat requiſita conditio, ut nimirum nutrimentum molle, (acre non tuliſſent ventriculi & inteſtinorum fibræ), facile eliciendum, non faciliter putreſcens nec nimis laxans adhiberetur. Materiam egregiam præbent caro vituli probe nutriti aſſata; ejuſdem animalis lingua, thymus, pancreas; agnus tener; pulli gallinacei: E piſcium genere, Perca, Luſcius junior, Fario, Salmo, Trutta Salmonata, Thymallus, Cipryni fluviatiles in locis quibus ſunt indigenæ, dummodo omnia ſic condiantur ut nec pinguedine, nec nimia aromaticorum doſi alienæ omnino concilientur vires. Ex oleraceis adhibentur radices teneræ ſiſari, tragoponis, ſcorſoneræ, daucorum nonnullorum; folia chicorei, acetoſæ, lactucæ, ſpinachiæ; de duobus poſterioribus notari tamen velim, quod nimis laxante & refrigerante virtute ſæpe vel in ſtomacho diu immutati retineantur, vel diarrheam qua incocti abducuntur moveant (*o*). Turiones aſparagorum; cinara-coſtæ vel ipſius cinaræ teneriores caudices non ſunt contemnendi; cinaræ vero fructus, *capita* ut dicunt, debiles gaſtricas vires ſæpe ſuperant; ubique vero cavendum ne quæ ſapienter ſuaſit Medicus, in damnum

(*o*) Veteres, ut nimis laxantem virtutem olerum corrigerent, addebant ſal & acetum.

mnum ægri coqui culpa ruant (*p*). Fructus illi horæi quorum ſucci expreſſi utilem morbo medelam præbuerant, in convaleſcentia comeſti ſalubre fuerunt alimentum, modo maturi & crudi uſurparentur; coctione enim vires plerorumque peſſundantur; gratum aromaticum ſaporem, cardiacam inde virtutem, ſtimulantem, antiſepticam prorſus amittunt, & damnis caloris aut teporis accedentibus, gravantes, laxantes, flatuoſi fiunt. Perplures graviorum morborum curationes uſu fructuum crudorum peractas & novi & graviores teſtantur authores, nullam uſu coctorum; plures novi qui eos ferre nequeunt, crudis optime valent.

Uſum cavi carnium ſanguine turgentium, (quo plus enim ſanguinis eo plus nutrimenti & putredinis), quales ſunt omnes illæ quas nigras dicunt; abſona erant quoque ova, peſſimæ placentæ illæ tum piſtoriæ tum culinariæ quæ obtuſo blandientes palato, ſanitatem irreparabili damno afficiunt, tot ærumnas ventriculo parant, totque generant viſcerum obſtructiones unde inſanandi languores; nec multo magis probabantur offæ, alimentum illud pluribus adeo dilectum, conſuetudine tam probatum, ut ut ventriculo inſenſum, & quod ſibi interdicere prorſus debent omnes illi qui morbis ex debili ventriculo aut laxa fibra laborant. Quorſum enim mos illud jus carnium aqua ſubmergere, panem coctione depravare, & ventriculi vires, quo tempore erigi deberent, obtundere

(*p*) Hic notari velim verba viri cui pares multos neſcio an tulerit prior ætas, aut feret poſterior; *nous avons dans la societè deux ordres de perſonnes les Medecins & les Cuiſiniers dont les uns travaillent ſans ceſſe à conſerver notre ſantè & les autres à la detruire, avec cette difference que les derniers ſont bien plus ſurs de leur fait que les premiers*. Illuſtriſſ. *Diderot Enciclop.* art. *Aſſaiſonement*.

dere largo illo hauſtu pultis calidæ & emollientis, ſed de his non plura. Innumeri valent circa diætam tum ſanorum tum ægrorum errores, quorum expugnationem ſibi aſſumere virum aliquem in arte doctum, exercitatum & illuſtrem, utiliſſimum foret.

Vini uſus egregie ſemper ſucceſſit; potus calidi ſemper nocebant, motus in aere campeſtri curationem abſolvebat.

Recidivæ.

Dum Illuſtr. *Kloekhof*, Culenburgenſes, qua ſagacitate & doctrina pollet, ſanabat, plures obſervavit recidivas ter uſque repetentes, longas, tædioſas & tantum morbo primario mitiores (*q*). Talem non experti ſumus calamitatem; miteſcebat quandoque morbus noſter mox acriter reſurgens, ſed nihil id ad recidivas pertinet; quæ ubi jam convaleſcens erat æger rariſſimæ fuerunt, nec ultra biduum protenſæ, quo tempore, nauſeæ, cephalalgia, calor, febris & debilitas ægrum premebant: nunquam illas obſervavi niſi poſt diætam neglectam, purgationis procraſtinationem, animi pathema perpeſſum, aut ingruente tempeſtatis mutatione. In ſecundo caſu, ſæviente paroxiſmo proderant enemata, & ſimulac remittebat ſollicitanda erat alvina evacuatio. In primo ſi ſpontanei vomitus aut diarhæa ſuccedebant res in vado erat, niſi, purgans hauſtus cauſam & morbum tollebat, & pluſquam ſemel obſervavi morbum ſine evacuatione, ſola crudi coctione ſolutum fuiſſe, quod jam monuiſſe videtur divus Parens (*r*). Vidi quondam infuſionem cardui benedicti;

(*q*) Quod illi fuit occaſio egregium libellum de recidivis conſcribere legendum & relegendum ut omnia alia authoris opera.

(*r*) *Prorrecticor. L. II. §. 16. Foeſ. p.* 85.

cti; citiſſimum attuliſſe ſolamen fœminæ quæ debilis adhuc panes quoſdam piſtorios calidos, butiro illitos jentaculi loco comederat, unde nauſeis, dolore ventriculi, anxietate, cephalalgia & debilitate tam acerbe correpta fuerat ut de eventu metuerent adſtantes; vix elapſa ſemihora poſt copioſos vomitus optime valebat; enema ſæpe ſatis fuit. Tertia & quarta cauſa vix medelam rogabant; animi pathemate excitatum tumultum ſæpe compeſcit enematis applicatio, vel potio ex aqua meliſſæ cum liquore anodino minerali *Hofmanni*. Sæpius omnia ſponte pacabantur. In ſenibus vero gravior erat caſus; ſemper enim noxia eſt illis ataxia a quacumque cauſa orta, & ſenem memini qui convaleſcens jam perfecte, mota ira in ſoporem vere apoplecticum, comes ſiquidem aderat paraliſis corporis ſiniſtri, incidit, quo vix poſt plures hebdomades convaluit: huc optime profuit prædicta potio; nec quicquam adhibendum, enematibus exceptis vel potius forſan glandibus, niſi leniſſima ſedantia grate ſimul cardiaca. Depreſſas vires relaxatione fibrarum quam inducebat imbroſa & auſtrina conſtitutio erigebat uſus vini.

Sequelæ morbi.

Superata jam febre, morbidæ frequenter ſupererant reliquiæ, ſi vel nimis tarde incepta curatio, vel male inſtituta, aut citius deſerta. Reliquiæ morborum oriuntur ſemper vel ex materia morbida non evacuata, vel ex debilitate vi morbi inducta, quæ organa functionibus peragendis inepta reddit. Materia morbida retenta, aut in ipſis morbificis relinquitur partibus; ſic poſt inflammationem non reſolutam, pars vel abcedit & naſcitur vomica, vel ſcirreſcit; aut locum generationis deſerens ad a-

lium

lium rapitur, tuncque metaſtaſis dicitur; ſic quondam vidi in Xenodochio Monſpeſſulano *Sancti Eloe* militem juvenem, vegetum, de ſummo dolore brachii ſiniſtri conquerentem; vix tumebat & rubebat pars, motus impoſſibilis, compreſſio doloroſa, febris ſat vehemens; venæ ſectiones plures, enemata, potum antiphlogiſticum, cataplaſmata emollientia præſcripſit Medicus, increſcit dolor; poſt triduum, hora forſan poſt diſceſſum Medici, ut relatum eſt a Chirurgis Xenodochii, ceſſat ſubito; ſuſpicantur gangrænam, fotus aromaticos inſtituunt; ante ſemihoram frigeſcit, horret, de dolore capitis conqueritur, mox delirio corripitur, lethargicus fit, quatuor nondum elapſis horis obit. Craſtina die inciditur cadaver, obſervavi & obſervarunt alii plures, muſculos externos brachii a perioſteo humeri ſeparatos, illorum membranam adipoſam fuſam, & veſtigia puris in hac parte antea congeſti: fibræ muſculares imprimis extenſoris cubiti longi, omnem connexionem inter ſe amiſerant, cerebrum exhibuit pus ventriculos obſidens, & ex tota baſi cranii ſtillans. Utilis ſane obſervatio, & quam hic ut ut forſan extra locum legere neminem tædebit.

Tales metaſtaſes longe frequentius accidunt & accidere debent in morbis inflammatoriis quam in gaſtricis putridis; materia enim morbida prout coquitur paratum habet ſemper vaſtum inteſtinale colatorium quo ſponte evacuatur; inde eſt ut inter trecentos & ultra ægrotos unicam tantum obſervaverim metaſtaſim. Fœmina vegeta viginti quinque circiter annos nata decubuit menſe Julii 1755. omiſſæ ſunt initio evacuationes alvinæ, ſudorifica adhibita, inde materia nec alterata nec evacuata, ſed limphaticis ſeu lacteis reſorpta omnem humorum maſſam infecit, & ægræ calamitates plures,

res, mihi multum negotii faceſſivit; mituit tamen morbus continuo uſu eccoproticorum aceſcentium & circa circum convaluit ægra. Monitus cruditate urinarum, defectu bilioſarum fœcum, languore & agripnia imperfectam eſſe curationem, remediorum continuationem ſuaſi, prorſus renuebat. Poſt tres hebdomades illa ipſa die qua domum deſeruit, poſt horrorem ereſipelatoſo tumore valde doloroſo crus ſiniſtrum deturpatur & optime valet ægra diſcedente languore, redeunte ſomno; ineptæ medelæ plures impendit dies; tandem denuo arceſſitus inveni pingium uſu perverſum tumorem jam abceſſiſſe: tactu fluctuatio percipiebatur ſupra os tibiæ, periculum tumor, lanceola pertunditur tumor, tenue flaveſcens educitur pus, tædioſum per plures menſes remanſit ulcus ſolo internorum alterantium uſu debellatum. Nonne *Hypocratis* doctrinæ pulchre conſonat obſervatio noſtra? Sic enim jam monuit venerandus ſenex, *quibus urinæ tenues & crudæ multo tempore redduntur, ſi reliqua ſigna ſalutaria ſint, in iis abceſſus ad loca infra ſeptum tranſverſum expectari debet* (*s*) & aphoriſmum genuit forſan inter alias obſervatio *Pithionis*, in quo, *ſub judicium ipſum urinæ aliquantiſper tenues viſæ ſunt; poſt judicationem vero quadrageſimo tandem die circa ſedem ſuppuratio facta eſt* (*t*).

Reli-

(*s*) *Prænotione* n. 78. *Foeſ. p.* 40. *Coac. prænot.* §. 582. *Foeſ.* 213. *de Judicat. Foeſ. p.* 54.

(*t*) Febre acuta e bilioſarum genere laborabat, & *pauca bilioſa alvo tranſmiſſa fuerant*, quod noſtræ quoque acciderat, *Epid. L. III. Sect. I. ægr.* 1. *Foeſ.* 1059.

Reliquiæ ex obſtructis viſceribus.

Ante viginti ſæcula obſervavit *Hypocrates lienis obſtructionem oriri ubi ex febribus & vitioſa curatione, bilis aut pituita aut utraque ad lienem incubuerint* (*u*). Omni ævo eadem repetita eſt obſervatio, & monuit *Primeroſius obſtructiones viſcerum contumaces in febribus ſæpe contingere, quæ aperientibus ſunt curandæ* (*x*). Inter ſucceſſiones febrium obſtructiones recenſuit Celeb. *Gianella* (*y*), & quod nos magis tangit propter morborum ſimilitudinem Ill. *Vvalcarenghi ad diluentia & diſſolventia graminacea chicoracea, aquas minerales confugiebat, ut præpediret obſtructiones quas in ſiſtemate hepatico, ſplenico, meſenterico, amurcoſa illa tenaxque bilis relinquebat* (*z*). *Cl. Pringle* ſeorſim agit de reliquiis febris bilioſæ caſtrorum & duas recenſet aſcitidem & tympanitidem, utramque ex obſtructionibus ortam (†). Quoad noſtros, plures e pauperibus imprimis meam implorarunt opem, quibus tumidum & durum inveni hepar, haud immunibus labe aliis viſceribus; læſæ erant vires, languens ventriculus, flava cutis, anxietas moroſa fere continua. Quantum ex ægrorum relationibus percipere potui triplici id evenit caſu, 1. ſi in primo ſtatu purgantia quidem adhibita fuerant, omiſſa vero coctio digeſtivorum ope, & emeſis quæ notante *Cl. Grainger* obſtructiones in epidemia autumnali tam fre-

(*u*) *De affectionib. Cap. XXI. Foeſ.* 521.

(*x*) *De febrib.* L. II. Cap. IX. p. 167. conferant. *Fernel*, *Heredia*, *Mercatus*, *Sennert*, *Lanciſi*, aliique plures.

(*y*) *De ſucceſſione morborum* L. II. C 4. p. 77.

(*z*) *Medicin. rational.* §. 77.

(†) *Maladies des Armèes*, P. 3. Ch. IV. §. 6.

frequentes certo præcavet (*a*). Illarum generatio ſavebatur imprimis ſi mox poſt primam purgationem cardiaca aut roborantia uſurpabantur, quorum vi materia cruda viſceribus impingebatur, præſertim hepati quod præcipua ſemper fuit ſedes morbi. Naſcebantur 2. obſtructiones in ſecundo & tertio ſtatu ſi nimia feſtinatione, deficienteque copioſa dilutione pars materiæ morbidæ fluidior, reiteratis educebatur purgationibus, craſſiore firmiter profundioribus viſceribus agglutinata remanente. Demum 3. excipiebant febrem citius ſedatam uſu adſtringentium, corticis peruviani & narcoticorum, quod evenit tribus fœminis in eadem domo ex electario cum condito roſarum, kina-kina & theriaca *Andromachi*. Non immorabor recenſioni ſimptomatum quæ ſequuntur obſtructiones viſcerum, aut curandi methodo; ſunt enim capita apud authores optimæ notæ egregie explanata, notari tantum velim quædam huc magis facientia.

Tumores bilioſi ut ut duri, facilius ſanantur quam ſcirri ex limpha inflammatione coagulata & indurata, plura ſunt enim bilis, quam limphæ aut pinguedinis ſolventia; ubi lapideam duritiem adepta eſt bilis reſolutionis ſpes nondum evanuit ut teſtantur quotidianæ circa calculos felleos obſervationes; ſcirrus e contra verus, inflammationis filius aut ſteatoma vix unquam reſolvuntur. Hæc eſt cauſa cur plures jecoris tumores perfecte curatos obſervemus, ſcirros in aliis partibus longe pauciores: & periculum ſæpe majus portendunt tumores bilioſi, acerrima corruptela omnia exedente quam duritie. Inde in praxi ſedulo curandum eſt ut pro indole plus minus vel acri humoris obſtruentis, remedia aut acriora aut mitiora adhibean-

(*a*) *Hiſtoria febris anomalæ* p. 74.

hibeantur. Sic ubi ex prima cauſa ortas obſtructiones inveni, audacter præſcripſi pilulas ex gummi, galbano, mirrha, extracto chelidonii majoris & ſapone aut veneto aut pro re nata Starkeyano, ſuperbibita potione nonnulla ad inſtar illius quam capitulo de curatione deſcripſi; tum frictiones hypocondrii dextri vel & totius abdominis, & lenia interpoſui ſubinde laxantia, ſi ſimptomata monerent partem materiæ morbidæ fuſam. Dum vero majorem adeſſe noſcimus acrimoniam, atram bilem inſpiſſatam, jam induratos calculos, ſpaſmos, dolores, tunc longe mitior ingredienda via: gummoſis, antiſcorbuticis, ſaponibus alkaleſcentibus & acrioribus ſalibus miſſis, ad vegetabiles aceſcentes ſapones confugiendum eſt. Optimam tunc præbent medelam ſucci recenter expreſſi chicorei, taraxaci, fumariæ, ſonchi, ſenecionis, graminis; ipſa folia in pultem trituratione redacta cum ſirupo acido qualicumque; ſera lactis, forte radicum graminis canini decoctum, & imprimis præſtans illud *Hypocratis* remedium, Hydromel ſimplex, quo utilius in morbis hujuſce generis nihil datur, jactantia & avaritia chimiſtarum oblivioni traditum, noſtro verum ſæculo in uſum revocatum (*c*). Ante aliquot an-

E nos,

(*c*) Neſcio quo ſiniſtro fato error in medicina circa mellis uſum irrepſit, quem ſigillo ſuo probarunt viri in arte graves, mel nimirum bilioſum eſſe & inde in morbis bilioſis noxium; aliter ſenſit vir fideli obſervatione educatus *Hypocrates* qui ubique mellis uſum in morbis bilioſis ſuadet (vid. inter al. loc. Foeſ. 547. 558. 560. 575. 636. 642.); aliter ſenſerunt *Alexander* (L. VII. C. XVI.) *Fernel* (p. 389.) aliter Ill. *Boerhaavius Chem. proc.* 42. T. II. p. 102. *Aphor. & comment.* Legi velim præſertim verba egregii viri quæ fidelis diſcipulus nobis tradidit Illuſtriſſ. *De Haen de deglutit. imped. p.* 49. & quæ omnis medicus memoria tene-

nos, medebar viro atrabilario, tumore duro jecoris, diris torminibus, flavo calore, agripnia & debilitate laboranti & tali vexato alvi ſegnitie ut viginti ſæpe dies abſque egeſtione ageret, meritoque ut *Furio* dixiſſes

---- Culus tibi purior ſalillo eſt,
Nec toto decies cacas in anno:
Atque id durius eſt faba, & lapillis:
Quod tu ſi manibus teras, friceſque,
Non umquam digitum inquinare poſſis (†).

ſuaſor fui ut omni bihorio diei ſumeret dragmas tres electarii ex foliis tenerioribus ſenecionis & taraxaci, medulla caſſiæ, manna & ſirupo rubi idei; omnique ablegata animali diæta ſolis viveret oleribus & fructibus horæis: eſſetque pro potu debile hydromel: trimeſtri ſpatio regulariter promiſſo ſtetit, & optime convaluit qui jam a biennio omnem curationis ſpem abjecerat. Vix quicquam primo menſe profecerat, tunc vero auctis torminibus & anxietate ſerum lactis copioſiſſime hauriendum præſcripſi; inde nata horrendæ materiæ evacuatio; moxque omnia lætiorem induerunt faciem, & quotidiani animos erexerunt ſucceſſus.

Non ſemel obſervavi: ſtimulantia aut purgan-

tenere deberet. Quid mel? Plantarum mitiſſimus ſuccus; ſapo mollis aceſcens, omnis putredinis debellator, concreti bilioſi, inflammatorii, viſcoſi ſolvens, nemini niſi debilibus acido laborantibus infenſus. Melle & aqua ſimplici ſanantur inflammatorii, & bilioſi tum acuti tum chronici; ſi addantur aromatica diuretica, difficiles reſpirationes ſenum optime tolluntur; & mixtum cum decoctis chalibeatis aromaticis in chronicis atonia & obſtructionibus, præſtabit quæ numquam aliis medicamentis obtinuiſſes.

(†) *Catullus Carm.* 20.

gantia innumeras obſtructiones inſanabiles reddunt mitiori methodo prorſus abigendas. Species eſt obſtructionis ex atonia & ſuccis ſtagnantibus nondum concretis quæ tonicis debellari debet. Longe plures ſunt quas augent tonica citius adhibita. Si adſit ſiccitas, macilentia, ſenilis ætas; incautus uſus gummium, aloes, martis, ſpirituum, ne unum unquam reſeravit vaſculum, ſed ſæpe atrophiam & paralyſim induxit.

In ſecundo caſu ſæpius uſurpavi extractum taraxaci inſpiſſatum, cum cremore tartari, tartaro vitriolato, & decoctum graminis melle edulcoratum: utriſque debellata obſtructione, tunc locus eſt tonicis, quorum ſi nocet intempeſtivus uſus, periculo non vacat ſemper omiſſio. Omnis pars quæ obſtructa fuit, fuſa materia obſtruente debilis & atona remanet (*d*) & niſi corroboretur prompte recidivat morbus. Quotidie datur obſervare ægros qui uſu reſolventium obſtructionibus liberati, poſt aliquot menſes denuo correpti eodem remedio aliquoties ſanantur, uſquedum tandem labes irreparabilis orta omnem excludat medelam. Plures curandos habui hydropicos qui fidem augent; primos morbi inſultus faciliſſime ſuperaverant potu alicujus decocti aperientis, tandem atonia valde aucta, nulla ſanatio poſſibilis, dum omnem amoviſſent recidivam ſi poſt primi inſultus debellationem, tonica curatio inſtituta fuiſſet.

Diæta e carne macilenta & imprimis vegetabilibus erat; potus erat ex aqua & vino albo; aquas calidas fugiebant imprimis thee coffe, & chocolatum, quod pingue & aromaticum alimentum nullo prodeſſe poterat titulo. Utiliſſima equitatio, ſed pauperibus impoſſibilis.

E 2 Quo-

(*d*) Hic agitur tantum de obſtructione ex infarctu cavitatis vaſculorum.

Quoties tempeſtive ſuſcipiebatur cura integra plerumque ſuccedebat ſanatio, ubi vero neglecta fuerant morbi initia in immedicabile ruebant ægri fatum. Vir quinquagenarius bilioſæ conſtitutionis, merobibus, omnibus olim libans paſſionibus, ſollicitudinibus omnis generis vexatus, ante quindecim annos febre quartana laboraverat, deinceps febre quam malignam dicebat, quam vero ex ſimptomatum hiſtoria, bilioſam ſuſpicatus ſum, & quæ reliquerat vomitus bilioſos ſubinde redeuntes, teſtes infarctus jecoris incipientis. Novo morbo decubuit vere anni 1756. invadebat primum horror, tum faſtidium, nauſea, anxietas, dolor ſub mamma dextra obtuſus, tuſſis vehemens, levis quantum retulit febris, flava cutis. Medens Pharmacopola demulcentibus tuſſim, narcoticis vigilias, cortice peruviano febrem, debellare tentaverat; ægrum ruris degentem vigeſima morbi die vidi. Febris remiſerat, pulſus tamen adhuc celer, parvus & haud infrequens; dolor remiſſior; vigebant icterus, faſtidium, debilitas, vigiliæ, tuſſis; mane bilem evomebat; accurata palpatio durum detegebat hepar. Quænam idea morbi? Jam a febre quartana, magis a bilioſa labefactum jecur, generatæ obſtructiones. Omnia novi morbi ſimptomata inflammationem partis illius viſceris indicabant haud reſolutam & ſæviora minantem. Juſſi vegetabilium, ſaponaceorum, aceſcentium, macilentorum pro diæta & remediis uſum, nec de illo ante annum fere audivi; tunc novi conſilium neglectum fuiſſe; faſtidioſum conſulenti palatum diæta fuerat, ex ſapidis, ſucculentis, aromaticis. Paulum remiſerant ſimptomata & viribus quadantenus recuperatis, muneribus aliquandiu functus erat, ſemper tamen debilis, bilem evomens & tuſſiens. Ineunte decembri ſuaſu medici alienigeni ruditer epiſtolis informati, pilulas

las ex ſapone Hiſpanico devoravit; omnia mox in pejus ruebant; medio Januario anni 1757., arceſſitus illum continua nocte præſertim tuſſi vexatum inveni cum ſtupenda expectoratione viſcido bilioſa; aquis diſtentum turgebat abdomen, ſomnus nullus, anxietas ſæva, urinæ perpaucæ rubræ, faſtidium plenum, ſitis, icterus jam viro nigreſcens, hepar tumidum durum. Conclamatis omnibus nec ulla ſpe aut ſanationis aut palliationis remanente vix animus erat quicquam præſcribere; celeberrimus conſultus medicus reſcripſit, *pro pace animi aliquid forte præſcribendum quod non noceat, ſpeciem det auxilii; lenia aperientia antiſeptica bilioſæ putredini reſiſtentia, alvum leviter moventia indicari videntur; nec ſedabitur ſimptomatica tuſſis, ſi cauſa reſiſtat, at mehercle reſiſtet*. Talis proſapiæ concinnata formula, juſſuque inſtantis ſuffocationis inſtituta paracentheſi, per plures adhuc hebdomades, diram infelix tranavit vitam, quam longiorem veroſimiliter duxiſſet, ſi poſt primam febrem bilioſam congrua adhibita fuiſſent remedia, ſi hepatitis anno ſuperiori nota & recte curata fuiſſet, ſi conſiliis tunc temporis datis auſcultaſſet, ſi demum non hauſiſſet pilulas ſaponaceas ubicumque putredo adeſt fugiendas.

Triſtiorem adhuc recenſere proderit caſum ex neglectis reliquiis febrium bilioſarum. Feſto nativitatis ſacræ anni 1751. operam meam deſiderabant cognati virginis quinquaginta & aliquot annos natæ, a decennio plures ſubſtinuerat febres bilioſas delirio ſemper ſtipatas. Ultima reliquerat ante triennium torpidum corpus, moroſam mentem, viſus debilitatem, triſtitiam, quæ moralibus aucta cauſis, terrore accedente ſubito in vehemens delirium mutata, ægram funeſtiſſimis vexabat ideis; propinquis, ſervis diffidebat; ſeſe jam mortuam vigil haud raro ſomniabat. Pulſus celer, mollis, anxietas

continua; ſomnus nullus; diligenter perpendenti omnia, non latuit diu cauſa morbi. Hepaticum nimirum ſiſtema obſtructum a præcedentibus morbis; cerebrum debilitatum deliriis febrilibus, nunc vero & ſimpatyce vitio hypocondriorum, & idiopatice bile ſanguini mixta irritatum (*e*). Nota cauſa patebat curatio; collecta & irritans evacuanda bilis, reſerandæ viſcerum abdominalium obſtructiones, & totum deinde vaſculare & nervoſum genus roborandum. Nocivam venæ ſectionem, ſollicitanti impetuoſe ægræ omniaque alia renuenti, ſollicitantibus adſtantibus concedere imperavit neceſſitas; parum ſanguinis educebatur, nec minimum profuit nec multum nocuit. Gratus, diluens, aceſcens potus ſitim per biduum reſtinguebat, potio emeto-cathartica multam ſaburram bilioſam educebat, & copioſo uſu pilularum e ſaponibus acidis, decocti graminis & ſucci ſenecionis, fauſte tunc adhuc viridis reperiundi optime convaluit, ſed citius æquo remedia deſeruit. Æſtate proxima aquas e pago Vals apud Viviacenſes per plures dies ſed parca doſi potavit; inſequente vere anni 1753. ſecundum inſultum ſed priori leviorem experta eſt, qui uſui laxantium acidorum ceſſit. Conſultus remotus medicus ſuaſit balnea tepida per viginti dies & ſerum lactis cujus ſex libras quotidie potaret cum pulvere ex nitro, cremore tartari & ſaccaro; quid huc boni præſtare poterant balnea tepida? Brevi poſt in vehementem incidit paroxiſmum. Chirurgus ſe medicum jactans venæ ſectionem adhibuit, inde omnia in pejus mutata. Obſtructiones, bilis dominium,

(*e*) Inter viginti deliria, (nativam exceptam velim fatuitatem) tum acuta tum chronica, octodecim ſunt ex Hypocondriis, quod probe tenendum ne ſaltem ægris noceamus, quibus prodeſſe tam arduum & tam rarum.

minium, debilitas, irritabilitas increverunt. Inſciis omnibus agripnias narcoticis compeſcere ſtuduit ægra, ſed quot ſic inducebat mala? augebatur atonia, firmius impingebatur morbi cauſa, omnes præpediebantur ſecretiones, cerebrum prorſus debilitabatur, melancolia novas acquirebat vires; profuit electarium ex cremore tartari & extracto taraxaci, cum decocto citrato graminis cui nonnullæ injiciebantur fibræ hellebori nigri. Sed moroſitate aucta, omnibus rejectis remediis paroxiſmi frequentiores fiebant, ſex deliravit quotannis menſes, ſex alios non nimis ſapiebat; vehementiam delirii pacavit quondam balneum frigidum cujus frequentiorem uſum ſuaſeram; tandem ex aeris intemperie, in ſolo frigido contracta peripneumonia, intra paucos dies quantum audivi necata eſt. Emulſa pro deliciis illi erant & numquam illa uſurpabat quin craſtina die pœnam lueret; affecto enim ventriculo afficiebatur & cerebrum. Sapere diſcant illi qui ex delirio venæ ſectionem & omnis generis refrigerantia indicari credunt; non illis aſſentiebatur *Hypocrates* qui obſervavit & graphice deſcripſit morbum noſtro ſimillimum, quem curandum docet helleboro nigro, aqua, melle & aceto (*f*).

Nonnulla exempla alii exitus obſtructionum hepatis obſervavi, unicum recenſebo caſum. Fœmina polyſarca, ſexagenaria, anno 1755. febre epidemica detenta & chirurgo ſanata, ab illo tempore priſtinam non recuperaverat ſanitatem, ſed debilis, gravior, ſæpe anhela, alias faſtidioſa erat. A menſe Junii ſævius preſſa prædictis ſimptomatibus, acceſſit diarhea ſæpe recurrens, acris, bilioſa; tumet frequenter

 tym-

(*f*) Vocat *morbum craſſum a bile, cum bilis in hepar influxerit, & in capite conſtiterit. De intern. affection. Cap. LI. Foeſ. p.* 558.

tympanitice abdomen & fere ſemper dolet ita ut minimam veſtium conſtrictionem ferre nequeat; deletur prorſus appetitus & carnes præſertim nauſeat; urget ſæpe ſitis; parcus eſt ſomnus; turget jecoris regio; urinæ paucæ turbidæ. Quænam cauſa morbi? Bilioſa obſtructio in hepate relicta ante biennium; nunc materia obſtruens fuſa, putreſacta, mota, omnia enarrata ſimptomata creat & ſæviora veroſimiliter creabit; jecur enim omnino putrefiet; tabes ſuccedet hepatica; tympanitis; aſcites, icterus, mors; niſi vim morbi coercere poſſint remedia, quod dubito. Sic inſtitui medelam; diæta eſt ex vegetabilibus aceſcentibus; remedia ſunt pilulæ ex acidis ſaponibus cum potu ejuſdem indolis, ut arceatur putredo, nec impediatur putridi evacuatio; prodeſſe videntur: draſtica purgantia cavebo, omnia enim peſſundarent. Hæc ſcribebam ante duos menſes, dum vero typographicis remoris diu ſub prelo inſudarent primæ plagulæ, fatalis exitus prævifionis veritatem confirmavit, & jam a triduo ultimas animas ducens ægra, hodie obiit.

Caſus ſunt reſervati nonnulli ſpecialem poſtulantes medelam; virgo octo decennalis, ſcrofuloſæ gentis, epidemice hieme anni 1756. decubuit; medicaſtro infimæ notæ curata, ut ut leviter laboraſſet reportavit tamen cophoſim & leviorem mentis obnubilationem, ita ut eadem non polleat ſagacitate ac antea; ſæpius præterea defœdatam habuit cutim pruriginoſis craſſioris ſcabiei puſtulis; judicavi hic potius ad ſcroſuloſum reſpiciendum morbum quam ad hepatis obſtructionem bilioſam: talis eſt enim virus ſcrofuloſi jam adulti indoles, ut febre excitatus non ſubactus, in pleriſque minimis vaſculis infarctus producat. Sordes alvinas eduxi & alterans Plummerianum cum millepedibus ſaccaro & camphora præſcripſi, nondum quin-

quindecim elapſis diebus melius jam ſe habet (*g*).

Reliquiæ ex debilitate.

Tertium poſui genus reliquiarum, illas nempe quas generat fibrarum atonia: *viſcera enim debilitatem contrahunt tum a febre tum a medicamentis, unde laxitas partium conſequitur quæ poſtulat adſtringentia & roborantia* (*h*), & inter indicationes in febre putrida recenſet *Sennertus ut partes intemperie ac materia febrili debilitatæ ad naturalem temperiem reducantur & roborentur* (*i*). Laxitas autem fibrarum generatur in quibusdam partibus poſt tenſionem nimiam, in aliis poſt frequentiorem oſcillationem, in omnibus calore, defectu nutrimenti boni & actione putridi. Quæ damna inducat laxa fibra enumerare non eſt hujus loci, ſimptomata vero præcipua quæ nobis intulit fuerunt 1. Hebetudo quædam ſenſuum, hanc vero illi ſoli experti ſunt qui graviter decubuerant, nec quidem omnes; *cerebro per æſtum febrilem defatigato adſcripta, paucarum ſeptimanarum ſpatio ſemper ſponte ceſſit* (*k*), & plerumque

(*g*) De utili remedio videatur commentarius authoris & traductio quam ſpeciali libello propriis additis animadverſionibus promulgavit vir magni in arte nominis Illuſt. *VVerlhoff*: felicius mihi ſucceſſit ubi ſub pulveris formam adhibui; fauſte maritatur faccaro & millepedibus. Camphoram addidi ob virtutem antiſalivatoriam mihi ſat jam notam, tum alienis tum propriis experimentis; inde tamen non velim credi me in morbis ſcrofuloſis ſalivationem ſemper vitare, qui plures ſcrofuloſos tumores glandularum trachealium, jugularium & maxillarium feliciter evacuatione illa ſanaverim.

(*h*) *Primeroſe de febrib.* L. II. C. IX. *p. m.* 166.

(*i*) *De febrib.* Lib. II. Cap. IV. *p.* 146.

(*K*) *Kloekhof* loc. cit. p. 113.

que pari paſſu cum corporeis viribus, tam arctum eſt connubium, mentis redibat vigor, nec duplicem ſuſpicatus eſſet ſubſtantiam, ille qui ſolis doctus fuiſſet phœnomenis, ſolique auſcultaſſet rationi.

--- mentem ſanari corpus ut ægrum
Cernimus & flecti medicina poſſe videmus.

Tardius 2. reſtaurabantur vires quam vulgo poſt acutos morbos ſolent, hanc ni fallor ob cauſam, quod ventriculus & aliæ partes digeſtioni famulantes longe plus detrimenti paſsæ erant in hoc morbo quam in acutis aliis, dum illas continuo gravabat & laceſſebat ipſe morbidus fomes; debilitatem augebant præterea repetitæ evacuationes alvinæ quæ gaſtrico numquam non nocent ſiſtemati. Quamdiu vero claudicat digeſtio reſtaurari nequeunt vires. Apud nonnullos, debilitatis ſumme nervis quorum robur tam arcte ventriculi robori connectitur, mobilitatem mobilitatisque ſimptomata, involuntarias præſertim lachrimas obſervare potui. Macilentia cum reditu virium diſcedebat, aliquoties citius, & recordor apprime quod plures viderim qui mox poſt appetitus reditum, ſubito pingueſcebant, ſed molli turgida pinguedine, ex materia nutritiva craſſe elaborata, imperfecte adunata; nihil tunc præ exercitio profuit. Advena juvenis omnium fere ſimptomatum quæ inducebat debilitas exemplum præbuit; undecim natus annos, debilis texturæ & teneræ conſtitutionis difficulter ante paucos menſes ut mihi relatum morbillis convaluerat. Debilitate, laſſitudine, faſtidio ut omnes alii Julii initio corripiebatur, ſed quod nulli altero accidit, in parte media anteriori colli naſcitur primo ægritudinis ingreſſu eruptio vix depingenda. Natura & indole herpetica erat, figura vero rariſſima, faſcias nimirum duas circulares concentricas, quas accuratius non delineaſ-

lineaſſet in arte circini verſatiſſimus quiſque referebat; ſingula faſcia tres lineas latitudinis habuit, circuli interioris diameter exterior fuit unciarum fere duarum; correſpondens diameter circuli exterioris tres æquabat pollices. Emeſim ex radice braſilienſi præſcripſi addita mannæ ſemiuncia, melius ſe habuit; exſiccata ſenſim eruptio intra paucos dies prorſus evanuit, & inſtaurabatur appetitus; nondum octo elapſi erant dies, quo tempore me inſcio balnea tepida adhibuerat, cum acerbius ſubito recruduit morbus; omnia pro re nata inſtituta ſunt, numquam ſepoſita conſideratione conſtitutionis; nihilominus graviter per ſex hebdomades decubuit; febre continua, quotidianis exacerbationibus, ſummo faſtidio, continua fere diarhea preſſus. Jam a ſecunda hebdomade debilitatur cerebrum, loquela fit difficilis, memoria labat; lectum deſerens greſſus oblitus erat, lachrimatio ſpontanea; appetitus, fames potius vigebat, ſed ſi nimis indulgeret vel lienteria vel febris mox ſuperveniebant, nec redibant vires, poſt trimeſtre ſpatium nondum reſtitutæ, & debilis adhuc focos repetiit (*l*). Increverat multum ante morbum, increvit durante morbo, increſcere in patria perrexit & audivi vix poſt ſeſquiannum recuperatam valetudinem, quod tribuendum videtur citiori illi incremento, tunc enim nutritio fit imperfecte, juxta ponuntur non adunantur elementa nutritiva, laxę remanent fibræ & omnibus impares functionibus: ubique congeruntur & ſtagnant crudi humores, ſemper enim debilitatam fibram ſequitur cachexia, & pluribus exemplis

quę

(*l*) An morbilli male judicati in hoc morbo ſuum contulerint ſimbolum, cuique judicandum relinquo. Sane, ſi quis morbum antecedentia, morbi ſimptomata, durationem, liquias perpendat, vix credo dubius hæ rebit.

quę ſollicite congeſſi mihi conſtitit ſubitum illud incrementum tum intra tum extra ſebres, ſiniſtri quid fere ſemper habere, multos vidi inde debiles & per plures annos languentes; alias lethali corripiuntur tabe, alias vitium ad ſeniores propagatum annos continuam reliquit infirmitatem. Nihil tunc prodeſt niſi corroborantia omnis generis tum diætetica tum pharmaceutica. Exercitia, frictiones, ligaturę, aromatica, chalibs, kina, generoſa vina hic egregii inveniuntur uſus. Nihil pejus evacuationibus qualibuscumque; nihil præſtantius quam balneum vere frigidum, nobile illud remedium quod duce natura & adhibuit & amavit ſapiens antiquitas; cujus ſalubritatem ſuadet phiſica & probant tum experientia quotidiana gentium illarum quas barbaras dicimus, hoc eſt, noſtro modo nondum depravatas; tum Anglorum imo & meæ obſevationes: quotiescumque enim adeſt atonia, (quando hodie non adeſt?) & vitia quas ſecum trahit atonia, deprevatæ digeſtiones & coctiones, nervorum debilitas & mobilitas, fluor albus aliaque omnigena horum ſoboles, modo non præpediant obſtructiones incurabiles aut vomicæ, nullum par datur remedium a primo vitæ diluculo (*m*) ad ſenium usque; & affirmare non timeo; niſi illorum reſtituatur uſus, in pejus ruet degeneratio illa gentis humanæ quam omnes animadvertunt & deplorant, nemo ſanat: illam e contra quotidie augemus perverſo & damnabili (paucis exceptis caſibus) balneorum calidorum uſu quæ ſane

(*m*) Nimis valent præjudicatæ opiniones, ut matres immergant puſillos ſuos udæ frigidæ, ſed plures novi quibus optime ceſſit mitior methodus; bis imo ter de die totum infantile corpus initium a capite ducendo cum ſpongia frigidæ immerſa lavatur; ſicque optime roboratur & omnes præpediuntur morbi qui debilitatem ſequuntur.

ſane herculeas vires brevi peſſundant & debilitatem generando, mille morbis januam aperiunt. *Qui imbecillis eſt* enim *proxime ad eum qui ægrotat accedit* (*n*). Sed e diverticulo ad viam. Adſtringentia ſic dicta debilibus noſtris propinare formidavi, ne alvum laxam diu ſervandam, protinus adſtringerent. Lenia vero tonica, generoſa vina, abdominis frictiones, abdomen enim ſemper in laxis reſpiciendum, & exercitium ſpem adimplebant, modo ventriculus ciborum mole non obrueretur: nihil enim magis digeſtionem impedit, ſicque debilitatem fovet; nec ſemper facile fuit hic votorum compos fieri, dum tanto ciborum deſiderio poſt longum jejunium premebantur ægri, ut vix, juniores imprimis ſibi temperare poſsent; preſſo pede ſcelus inſequente pœna.

Nonnullos cruciarunt dolores ventriculi, amaris quibuscunque vino digeſtis, aut elexirio viſcerali facile devicti.

Aliud moleſtiſſimum obſervavi ſimptoma, agripniam nimirum pertinacem vel ſaltem malignum ſomnum quem triplici tribui cauſæ; 1. ataxiæ fluidi nervei quæ convaleſcentibus ſemper infeſta eſt; 2. deſuetudini, plures enim probarunt obſervationes ſomnum aliquamdiu omiſsum, imo in perfecta ſanitate, difficulter, quod infelix ipſe teſtor, reſtitui, 3. debilitati ventriculi; *ſomnus enim prorſus a ſtomacho pendet* (*o*) quod nimis probavit ſiniſter ſucceſſus illo-

(*n*) *Hypocrates de priſca medicina* Foes. p. 12.

(*o*) *Boerhaave*, *reſponſio conſultatoria circa dyſenter. caſtrens.* *Conſult. t. 2. p.* 22. Conferant. Ill. *Halleri lin. phiſ.* §. 578. ubi noſtram tuetur ſententiam. Phiſiologi alii magnæ pariter authoritatis & famæ Ill. *Boerhaave* & Ill. *Senac* aliique bene multi, alimentorum copiam & tenacitatem inter cauſas ſomni reponunt; quid ergo anne natura ſibi diſſimilis? An erra-

illorum qui amigdalatis, nitroſis, narcoticis, pediluviis, inſomnias illas curare conabantur, ſic enim ſomnum de die in diem magis fugabant, ventriculi languorem & debilitatem generalem arceſſebant. Aliam non poſcebat medelam agripnia illa quam tonicam ſat jam ſuperius deſcriptam, alimentum eupeptum ſed facile, cænam levem, aquæ calidæ privationem (*p*). Belle ſuccedebat vinum Malagenſe aut Alonenſe ante paſtum & veſpera. Aliquoties ex *Boerhaavii* ſuaſu flores martiales ſalis ammoniaci

errarunt magni viri? Neutrum; ſomnus naturalis ſemper ſequitur quemdam defectum ſpirituum animalium, & pacatum motum reliquorum ſeu anxietatis aut doloris privationem; alterutra deficiente conditione ſuccedere nequit. Nunc ergo; in viro ſano robuſto, infarctus ventriculus, ſtimulo alimentorum majorem ſpirituum affluxum ſibi ſollicitat, inde cæteris deſunt functionibus; nec talis eſt tamen ſtimulatio ut doloris aut anxietatis ſenſum moveat; ſemper enim in ſano pacati ſpiritus, non mirum ergo ſi ſomnus ſequatur. Sed in ægro debili longe alia res eſt, deficiunt enim ſpiritus & tamen deficit ſomnus; cur? Quia deeſt placiditas in motu nervoſo, nam ex cruditate ut jam dixi mobilitas; præterea, omnes functiones debili laborem quemdam inducunt; ſi ergo ventriculo onus incumbit, quod in ſano, levi ad ventriculum ſtimulo ſomnum procuraſſet, in ęgro e contra nimis ſtimulando, laborem univerſum creando, cruditatemque augendo, dolorem, anxietatem, mobilitatem & agripniam inducit. Notare demum liceat quod licet ſi ſatietas inducat aliquoties ſomnum, raro tamen placidum illum, dulcem, reficientem qui ſobrietatem ſequitur. Nec ipſum *Boerhaavium* latuiſſe noſtram diſtinctionem credet, qui citatum locum conferret perpulchro capitulo de ſomno, *in inſtitutionibus*.

(*p*) *Impeditur ſomnus, perpetua, lenta admiſtione potus aquoſi calidi ad ſanguinem*, *Boerhaave inſt.* §. 592.

niaci uſurpati ſunt (*q*) probante ſuccesſu: & quod huc apprime facit, memini me ante aliquot annos curaſse Dominam quæ ſingulis noctibus & ſæpe diebus acerba odontalgia, & pertinaciſſimis vigiliis a ſexdecim menſibus torquebatur. Non in caſſum, ſed in damnum experta erat venæ ſectiones, purgantia, balnea, aquas minerales, veſicatoria, omnigena refrigerantia. Suaſi ut bis de die & lectum ineundo aromatica & tonica ſtomachica vino infuſa uſurparet; mox remiſerunt & menſe nondum elapſo prorſus deſeruerunt dolores redeunte ſomno. Nuperrime colloquendo narrabat Illuſtr. *Hallerus quem nunquam adii quin doctior redierim*, poſt febres illas ereſipelatoſas quibus nimis ſæpe gementibus bonis vexatur, ſomnum quem arcebant refrigerantia optime reſtituiſse generoſum illud Luſitanum vinum quod *montanum* dicunt.

Ubi vero integre noſtri convaluerant longe profundiori ſomno quam ante morbum ſepeliebantur, nec latet cauſa.

Inveni apud nonnullos imprimis juniores ſimptomata febris levioris hecticam quodammodo referentis, cui non aliam credidi cauſam præter laborem nutritionis; nec febri ſed debilitati medendum; niſi res infauſte ſuccedebant, nefandaque hic increpanda praxis quę ex caloris ſenſatione, *refrigerantium* ſic materiæ medicæ collectoribus dictorum neceſſitatem concludit. Senſatio enim illa ſæpiſſime oritur ex acrimonia & cruditate quas genuerunt atonia defectusque bonorum ſuccorum; & frequenter naſcitur febris ex deficientia circulationis. Quot omni die peſſundantur valetudines dum in tali caſu confugitur ad v. ſ. refrigerantia, enemata, balnea tepida; increſcunt debilitas, cruditas, acrimonia, moleſtus calor; vera demum

(*q*) *Chemia, proceſſus* 169. *T. II. p.* 286.

mum naſcitur hectica quæ præpedita fuiſſet tonicis, kina, chalibe, vino, balneis frigidis. Nihil frequentius occurrit in praxi quam ęgri querentes de *calefactione* (*echaufement* ut dicunt;) turpiter falluntur medici ſi methodum antiphlogiſticam amplectuntur, nulla enim forſan arte in talibus excitari poſset inflammatoria illa diatheſis quam debellare conantur. Vera *calefactio*, venia ſit verbo, eſt levis inflammatio; falſa verum toto cœlo inflammatione diſtat; utrique communia ſunt primo intuitu nonnulla ſimptomata; ſi eamdem larva deluſus adhibeas methodum, quod nimis eheu frequens, alterum juvabis, alterum necabis.

Vix eſt quod immorer enarrationi ſimptomatis, qui ægris terroris multum periculi nihil incutiebat, anaſarcam volo fere univerſalem, quam plures experti ſunt jam ſeneſcentes ęgri, ſponte plerumque prout redibant vires evaneſcentem; nec vidi enim nec audivi quemquam inde vere hydropicum remanſiſſe; toties jam indicata tonica medicamenta ſufficiebant. In paulo pertinaciori crurum ędematoſo tumore, uſui tincturæ martis acidæ ſubjunxi faſciationem cum paneis faſciis quas aqua vitæ & aceto irrorari curabam & paulo magis quotidie conſtringi. Talis vero curatio noxia fuiſset, ut infra patebit, in tumefactione quę obſtructionibus ſuccedebat.

Si plures cum infauſtis reliquiis dimittebat morbus noſter inepte aut imperfecte curatus, aliis firmiorem conciliabat ſanitatem. Cura enim recte inſtituta omnem viſcerum ſaburram educebat, omnes reſerabat obſtructiones, omnem edulcorabat acrimoniam, & de febre Lauſannenſi affirmare poſſum quod de febribus intermittentibus prædicavit vir genti humanæ, ob egregium de inoculatione librum, carus J. *Kirkpatrick*, illam nimirum fauſte ad variolas diſpone-

ponere (*r*). Tres curavi pueros epidemica laborantes febre nec dimiſi niſi perfecte ſanatos, menſe vix elapſo variolas adeo benignas experiebantur ut mea non imploraretur opera illosque caſu inviſi, decennales duo erant, tredecennalis tertius. Elapſo vere, nobilis Germanus viginti & duo natus annos eamdem bilioſam ſuſtinuit febrem tempore præparationi varioloſæ dicato; morbum debellavi, & ſuaſi ut tota æſtate horæos fructus pro lubitu devoraret; nulla alia adhibita medela niſi potione laxante decimaquarta Septembris, varioloſum filum decimaſeſta inſeri curavi; morbum quo benigniorem non deſiderares habuit, ut ut ultra ducentum puſtulæ eruperint & perfectiſſime pulchro pure turgidæ maturuerint (*s*). Nec mirabitur quicumque de illa materia ſerio cogitavit. Hoc eſt enim inoculationis arcanum, ut, varioloſum virus indatur corpori, omni rigiditate, laxitate, debilitate, obſtructione, cacochimia, viru, omni demum labe vacuo; verbo, corpori ſano ſed non athletico. Arcanum præparationis eſt ut ſtatus ille ægro concilietur & variis medelis debellentur enumerata vitia, infelici verum relinquantur fato illi qui aliquo incurabili nævo laborant. Omnes requiſitas conditiones habuiſse ſanatos noſtros poſt virium reditum, quiſque facillime percipiet; præ omnibus metuenda eſt cacochimia

F

(*r*) *Perhaps a late recovery from ſuch a moderate intermittent as had left no infarctions of the viſcera behind it, might, conſtitute a temperament, that would not violently cooperate with the variolous infection* &c. *the analyſis of inoculation p.* 219.

(*s*) Filum collegeram ipſe die 17. Julii anno 1755. hoc eſt ante viginti & ſex menſes, non audivi tam ſenia adhibita fuiſſe, & intereſt noſcere talem ętatem vim illorum non infringere, jam enim 22. Septembris languere incepit æger.

mia bilioſa (*t*), nemo magis aberat quam noſtri rite curati.

Sic exaratis quæ ad morbi hiſtoriam, curationem, & reliquias ſpectant, ſupereſt ut enarretur cura ſimptomatum quorumdam, & inſtituatur examen remediorum nonnullorum, quę aliis uſurpata, ſciens & volens omiſi.

Simptomatum curatio.

Medicus qui ſimptomatum curationem ſuſcipit, mente tenere debet *Benneti* præceptum, *cave ne inter ramorum exciſionem creſcat truncus* (*u*) & monitum viri in arte præſtantiſſimi Ill. *Gaubii*, *nec ſingulis, ſed urgentibus ſaltem ſimptomatibus oppone medelam: effecta enim morbi, hoc hujuſve cauſa ſucciſis, ſponte ceſſant, quæ nonnuquam adeo diverſa ſunt, ut nimis oppoſita, quin contrario indicent* (*v*). Nec tam multa ſunt revera quæ medelam ſpecialem poſtulent ſimptomata, nec unquam quidquid adhibendum quod morbi cauſæ averſetur. Facillime proteiformitate morborum deluderetur incautus, rarius occurrunt contra indicationes quam forſan crederet, & illa ſimptomata quæ primo intuitu genio morbi aliena videntur eamdem cum omnibus aliis originem habent, & remedii principis continuatione feliciter fugantur. Illis nutritus axiomatibus rariſſime medens ſimptomatibus inventus fui. Solæ ſedes cephalalgiam ſanabant, pro tempore levabant lintea aceto madida, curantibus mulierculis. Cur narcoticis abſtinuerim in vigiliis pertinaciſſimis infra patebit. Lipothymiæ inter rariſſima fuerunt & illas raro curat Medicus. Diarhea non alia

(*t*) *Kirkpatrik* ibid. p. 23˜.

(*u*) *Theatrum tabidor. exercit.* 27. *de uſu perdulcium*. p. m. 91.

(*v*) *De methodo concinnandi formulas medicas* §. 45.

alia poſtulabat aut tuliſſet remedia quam evacuantia & acida. Appetitum erigere velle calidis aromaticis abſonum prorſus fuiſſet. Ridenda verbo & damnanda verſipellis illa medicina quæ mox capiti, mox pectori, mox renibus aut alvo medens, non modo nihil medetur ſed plurimum nocet. Unicam itaque habeo ſimptomatum curationem hic memorari dignam.

Sutor Germanus, Tigurinus quantum novi, menſe Octobis 1755. epidemia corripiebatur, tertia mandatus die emeſim quarta præſcripſi, & alia congrua remedia; ſed pertinax homo potui renuens parum bibebat, nec diætam qualem juſſeram admittebat; octava alvum duxi; decima talis jam aderat meteoriſmus ut ex ſumma diſtenſione rubere inciperet cutis abdominis: reſpiratio ob impoſſibilem diaphragmatis deſcenſum breviſſima erat, pulſus parvus, mens quod ſtupui fere ſana. Damna metuens ex compreſſione omnium viſcerum & impedita reſpiratione; nullam aliam inveniens cauſam præter rarefactum ærem ex bile cujus putredinem ſufficienti non cohibuerat potu, certus priori palpatione abdominis nullam ante morbum fuiſse obſtructionem, moroſo medens ægro qui juſſis vix obtemperabat, mecum revolvens de remedio quod citiſſime fibras roboraret, flatus compeſceret, putrefactionem ſiſteret, in mentem revocavi monita veterum de aqua frigida, recentiorum nonnullorum & proprias obſervationes, omnibuſque diligenter perpenſis curavi ut lintea quadruplicata aqua fontana frigidiori madida toti imponerentur abdomini, & ſingulo quadrante horæ renovarentur (x), &

 toties

(x) In febre biliosa ardente ſuaſit *Hypocrates* idem remedium; *cum ardor tenuerit lintea frigida intenta qua præcipue parte ardere dixerit admoveto, de intern. affect. Cap.*

toties hauriret uncias tres ejuſdem aquæ. Intra bihorium detumuit abdomen, facilior facta fuit reſpiratio: ante trihorium levi orta colica, cum continuis borboriſmis copioſiſſimæ bilioſæ ſedes prodierunt: removi lintea, ſequenti nocte obdormivit, craſtina die mollis erat venter, valde demiſſa febris, brevi optime convaluit non mutato potu quem utiliſſimum ſæpiſſime deprehendi, & aquam obſoleviſſe dolen-

Cap. XLII. p. 553. confer. *Alexander de art. medend.* L. VII. Cap. XV. *Coelius Aurelianus de acutis paſſionib.* L. III. C. XXI. *Ætius tetrab.* 3. *ſerm.* 4. Cap. XXVII. XXVIII. *Th. Bartholin de uſu nivis* Cap. XXIV. *Bianchi* p. 582. *Zacutus Luſitanus* juvenem bilioſiſſimum acerba laborantem colica, omnibus inutiliter tentatis ſimili ſanavit methodo. *Cum dolor inquit ingraveſceret, ſitis urgeret, ex nive emplaſtrum parti dolenti impono & gelidiſſimam cum ſaccaro ad ſatietatem bibendam offero, non tranſierat hora quin ſe ſanum exclamaret. Prax. admir. L. II. obſ.* 23. *p. m.* 195 Regeret aliquis hic agi de colica non de meteoriſmo, ſed ſane a fortiori concludo; eadem poſita cauſa quid refert ſimptomatum varietas? Non noſtrum eſt exponere cur eadem cacochilia bilioſa nunc colicam, nunc choleram, nunc volvulum, nunc dyſenteriam alias apoplexiam inducat; ſed ſuadet ratio, probavit experientia idem genus medelæ ubique ſuccedere. Nec deſunt obſervationes noſtræ magis adhuc affines, inter quas primum obtinet locum illam quam refert Cl. *Combaluſier* in utili *Pneumatopathologia;* laborabat fœmina tympanitide, nihil ſelectiora profecerant remedia, illam applicatione externa & potatione aquæ gelidæ ſanavit ſagax & expertus medicus, apud Lugdunenſes celeberr. D. *Raſt.* Plures ipſe novi qui vehementes colicos dolores, aliis in caſſum tentatis, deſperabundi fere frigidam applicando ſanabant. Temerarius ſane auſus, caute enim applicatum heroicum remedium multum prodeſſe poteſt, ſed inepte adhibitum peſſimos aptum eſt generare morbos. *Prudenter a prudente medico, abſtine ſi methodum neſcis.*

lendum eſt. Nihil hodie niſi arte pharmaceutica præparatum & ſæpe depravatum adhibemus; ſapientiores veteres, coctione perfecta; aquam frigidam egregium tonicum propinabant, tantumque ejus concedebant quantum ægro liberet bibere, ut patet ex operibus *Hypocratis*, *Aretei* (*y*) *Galeni* (z), *Alexandri* (*a*), *Cœlii Aureliani* (*b*) aliorumque. Coævos ſuos jam increpuit *Galenus* qui uſum aquæ frigidæ negligebant illoſque *hydrophobos* vocat. E recentioribus *Fernelius* (*c*) *Hofmann* (*d*), *VVan Swieten* (*e*) *Kloekhof* (*f*) *Grainger* (*g*) aliique bene multi aquæ frigidæ uſum ſuaſerunt & cautelas ſubjunxerunt.

Convulſivi motus artuum orti ex conſenſu cui originem præbet communicatio quæ intercedit inter par nervorum ſextum & ſpinales omnes, nullam ſpecialem requirunt medelam & peſſime nonnullis ſucceſſit uſus antiſpaſmodicorum animalium, ut ut aliquoties ſpaſmodica ſimptomata princeps viderentur morbus. Vir egregius verbi divini miniſter detinebatur febre, cephalalgia, nauſea, nullum vero tam moleſtum ſimptoma quam ſuccuſſiones convulſivæ vehementes ſæpiſſime redeuntes, quæ ortum

F 3 tum

(*y*) Lib. II. Cap. VIII.

(z) *Method. medend. L. IX.* Cap. VI. lectu digniſſimo.

(*a*) Lib. VII. Cap. XV. Lib. XII. Cap. II.

(*b*) *De acutis paſſionibus* Lib. III. Cap. XXI.

(*c*) *Method. curand. febres* Cap. II. oper. p. 389.

(*d*) *De medend. method. Sect. II.* Cap. XI. *p. m.* 469. *De inteſtinor. dolor. Obſer. IV. & V. mih. t.* 4. *p.* 293. edit. fol.

(*e*) *Aph.* 640. *T. II. p.* 215. ubi egregie pro more diſserit de uſu aquæ frigidæ in febribus. ib. *Aph.* 730. *p.* 422. *Aph.* 743. *p.* 494.

(*f*) *Opuſcul. p.* 18.

(*g*) *Febris anomala Batav. p.* 79.

tum ex phrene aut aliquo plexu vicino ducentes totum corpus vehementer attollebant; alias ſuccuſſio unum alterumve tantum membrum agitabat. Si ad prædicata remedia nervina confugiſſem orcum brevi adiiſset æger; poſthabito verum ſimptomate, bilioſam expugnavi cacochiliam emeſi, purgantibus, acidis; & eandem ſequebatur viam Cl. *Alberti*, *quando convulſivæ commotiones imminent, tunc ante omnia invigilandum eſt, quo excretio bilioſa rite ſuccedat, quo alvus ſit libera aut cum enematibus liberetur* (*h*). Et plura ante *Alberti* ſæcula jam egregias nobis tradidit obſervationes *Galenus*: *per febres, quoſdam inquit conſpeximus derepente convulſione prehendi nullo quod eam præſagiret, præcedente indicio, qui bilioſo ſuperveniente vomitu, protinus ab omni noxa liberati fuerunt, atque hoc modo affectorum nonnulli res quaſdam fuſcas vomendo rejecerunt, alii humorem porri ſucco ſimilem* (*i*). Et ſi virum illum toties jam, numquam ſatis excitatum Ill. *Van Svvieten* adeamus, legemus quod *dum circa præcordia fluctuans acrior & copioſior bilis actiones cerebri turbat, vomitorium datum talem convulſionis febrilis cauſam tollet cito* (*k*). Poſt evacuationem cacochiliæ tonica preſcripſi, nimis edoctus nervorum morbos omnium facillime in conſuetudinem tranſire, niſi illorum tonus inſtauretur; quæ cautela poſt acutos morbos contem-

(*h*) Ubi ſupra p. 770.

(*i*) *De affectorum locorum notitia* Libr. V. Cap. V. oper. omn. T. IV. p. 125. quem locum imo & integrum opuſculum ſi quis legat eximias res inveniet vix apud recentiores reperiundas.

(*k*) *Aph.* 713. *T. II. p.* 359. Ibidem præcepta invenies contra abuſum ſpecificorum, quæ nimis inculcari nequeunt; agnatos enim cito terrent convulſiones; remedia ſollicitant, offerunt, & debilis vel incertus medicus omnia peſſundat.

tempta ſæpe locum facit languori nervoſo; nec quidem, ut per tranſennam, aliam novi medelam nervinis morbis. Si ſtimulus aliquis materialis continuo irritans adſit paroxiſmos renovans auferatur & tunc tonica adhibeantur. Si ſenſibilis deſit ſtimulus, omnem paginam abſolvunt roborantia, ſæve repudiatis evacuantibus.

Claudi nolim morbi recenſionem quin monuerim bilem aut cacochiliam putridam, mitiores & breviores ſæpe generare febres; nemo non obſervavit ephemeram aut ſynocham ſimplicem pluries ex tali cauſa ortum duxiſſe. Si enim mobilis, pauca, in inteſtinis præſertim ſit, a febrem ciebit vehementem quidem, ſed brevi pacandam, aut ſpontaneis aut arte inſtitutis evacuationibus; plures per nictymerum acerbe vexati, optime valent ſi ſemel aut bis ventriculum vel alvum copioſe deponere poſſint. Si paulo fixior cauſa, ad triduum aut quatriduum producitur languor. Sed his diutius immorari tædioſum.

De Venæ ſectione in febribus bilioſis.

Aimatophili illi qui omnem morbum ſanguini tribuentes, indeſinenterque de plethora & ſtaſi loquentes in nullo morbo venæ ſectionem omittunt, ſtupebunt ſane me de illa ne verbum protuliſſe, ut ut calor, ariditas, cephalalgia, vehemens delirium, acuta febris quę ſæpe aderant, talem evacuationem ſollicitari viderentur. Sed væh illis quorum Medici de cauſa nihil ſciſcitantes, omnem febrim vehementem ſanguinis miſſione jugulare ſatagunt; quoties enim febris poſt operationem aucta ægrum jugulavit (*l*)? Quartus excurrit an-

(*l*) Talis indicatio omnino opponitur doctrinę *Hypocra-*

nus a quo tempore typis mandavi (*m*) nunquam utiliter celebrari V. S. abſente plethora; addere licet, niſi ineunte aut crudo adhuc morbo inflammatorio, poſt vehementius exercitium, inſolationem, caſum, & in ſubjectis tantum non ſtricte quidem plethoricis ſed robuſtis, ſanguineis, vegetis. Nec mutata mens ab illo tempore, quin imo damna V. S. ubi tales deficiunt conditiones de die in diem magis novi. Concedo, ſuos ſanguis excedens inferre poteſt morbos, qui phlebotomiam indicant; ſed ſanguis morbos non ſanguineos arcet; quo quis plus vitalis habet fluidi, modo plethora abſit & frequenter hodie abeſt, eo melius valet, & plus viget contra generationem & inſultus aliorum morborum. Quo plus ergo ſanguinis amittet eo magis illorum rixis obnoxius erit. Certum certiſſimum eſt enim ſanguinem evacuatum in homine qui nimio ſanguine non turget, reliquum diſponere ad cacochimiam degenerationem & morbos quos generat putredo. Sed rem accuratius quoad febrem bilioſam perpendamus, diſquirendo primo num prodeſſe, ſecundo num nocere potuerit lanceola.

Indicationes erant fomitem morbidum in ſiſtemate gaſtrico, inteſtinali, meſenterico, hepatico extra vias circulationis poſitum evacuare, generatam putredinem corrigere, & viſcera roborare. Quid huc venæ ſectio? Patebit illius effectus ſub cenſum adducendo. 1. Sanguinis copiam diminuit & ſic tollit morbos quos induxerat copia major. 2. Ubi ex nimio robore vaſorum & aucta vi circulationis cauſa quacumque in corpore robuſto, impactus hęret phlogiſtice denſatus ſanguis in vaſis aut arterioſis

pocratis qui venæ ſectionem propter febrim adeo timuit ut ſæpe ejus gratia a V. S. abſtinendum eſſe exiſtimaverit.

(*m*) *Inoculation Juſtifiee p. 49.*

rioſis aut venoſis, venæ ſectio impetum minuendo & vaſa laxando, depletione vaſculorum minimorum, reſolutioni & repulſioni impacti favet vel effuſi reſorbtioni. 3. Laxitatem inducit, indeque debilitatem & morbos ex debilitate generat, irritabilitatem auget & ataxiæ viam pandit, ut innumeræ teſtantur obſervationes. Quis enim non vidit poſt V. S. lipothymias, tremores, ſpaſmos flatulentos ut dicunt univerſales vel partiales, deliria, febres, convulſiones: in pluribus puellis, inepte miſſus ſanguis ſcopo medendi lipothymiis aut ſuffocationibus hiſtericis veros horrendos adduxit motus convulſivos. Vidi nuperrime in ſimili caſu chirurgum medicum ſeſe jactantem præſcripſiſſe medianæ ſectionem, enema ex vino rubro adſtringente & potionem cum vitello ovi oleo & aliis neſcio quæ ejuſdem furfuris; inde (nec aliter res ſuccedere poterat) convulſiones vix poſt ſeptem dies ſuperatæ. Dum ſi quieviſſet, paroxiſmus ille ut alii plures ſponte ceſſiſſet & locum feciſſet prophilacticæ medicinæ. Jam ergo indicationes morbi viribus remedii conferendo, quiſque facillime capit, hoc ne minimum illas attingere poſſe, nec plethora enim, nec inflammatio aut rigiditas aderant; ſed agedum! Nonne vim morbi augebat? Et id probatu facillimum.

1. Omne remedium quod non prodeſt nocet & præ aliis pluribus venæ ſectio, quotieſcumque enim cauſam morbi non tollit, vires perfundat quarum tanti eſt conſervatio, nam *nihil magis ad firmiorem curationem conducit, quam ſi firmæ fuerint ægri vires: illæ ergo omne ope ſervandæ ſunt* (*n*). Quo plus enim vim ægri, quæ reliqua eſt ſanitas, debilitabis, eo magis præponderabunt vires morbi.

La-

(*n*) *Van Swieten Aph.* 598. *l.* 2. *p.* 96.

Laxat 2. Venæ ſectio, ex laxitate autem duo peſſima & indicationibus prorſus adverſa oriuntur, putredinis incrementum (*o*) & viſcerum imbecillitas, ſcopus autem erat viſcera roborare & putredinem arcere. Sed ne moveant objectionem cavillatores brevis inſtituenda diſquiſitio cui veniam concedet ſapientior lector. Ex nimia phlogiſtica febre inquiunt, omnis ſanguis putreſcit, hanc putredinem præpedit venæ ſectio, quonammodo in alia acuta febre putredinem favet. Simplex eſt reſponſum, mutata conditione mutatur effectus; in acuto inflammatorio & in acuto putrido longe diſtant indicationes. In primo generatur putredo aut purulenta aut gangrænoſa intra vaſa ſanguinea, ob nimium motum ſummumque calorem. In morbo putrido gaſtrico, rem habemus cum ſordibus extra vaſa circulationis depoſitis, ibi ob inertiam ſolidorum congeſtis, ſpontanee putreſcentibus, & putreſcendo omnia laxantibus, flatuſque generantibus qui laxis jam jam fibris non coerciti eas ultra tonum diſtendunt, vicina obſtruunt, comprimunt, lacerant. Inde nunc egregie intelligitur venæ ſectionem partes humorem morbidum continentes laxando, prout eſt inflammatorius aut putridus, putredinem præpedire aut favere.

3. Pejor fiebat morbus ſi rapiebantur materiæ putridæ in maſſam ſanguineam, & raptum illum juvat phlebotomia, *nam depletis majoribus venis, facillime poterunt minimæ venæ bibulæ abſorbtos humores majoribus venis tradere; unde promptior fiet putridi* reſorbtio (*p*). Sic ergo multiplicatur morbus, omnes inficiuntur humores,

(*o*) *Tout ce qui tend à relacher diſpoſe à la putrefaction. Pringle* malad. des armèes p. 327. Confer. *Baglivi de fibra motrice libr. poſt. ſpec. cap.* 17. *p.* 394.

(*p*) *Van Svvieten* §. 354. *T. I. p.* 550.

res, tota machina putrida diffluit tabe, omniſque ſpes ſanationis excidit.

4. Non modo reſorbtionem juvat, ſed reſorbti vim auget, diminuta enim quantitate boni ſanguinis eo major effectus viru. Lex eſt ſiquidem numquam revocanda, quod, poſita eadem veneni inficientis quantitate eo major infectio, quo minor quantitas humoris inficiendi. Jam monuerant veteres, venæ ſectione rapi bilem in ſanguinem & ſanguinem frænum eſſe bilis; Quotieſcumque ergo putridum adeſt, nocebit cruorem detrahere, & authoritatem præbent ipſi morbi inflammatorii, in quibus majoris famæ Medici V. S. poſt quartam diem vetant; lex ſtrictius non ſumenda, ſiquidem poſt illum terminum non ſemel profuit ſanguinis miſſio; ſed verum eſt tamen, magis prodeſt primis diebus, ſæpe nocet poſt quartam (*q*). Nec rationes hujuſce phænomeni uſque dum allegatæ ſufficiunt, ſed præcipua mihi videtur mutatio morbi poſt quartam diem. Ante enim inflammatorius, nunc jam putridus fieri incepit. Initio ergo V. S. præpediebat putredinem fiendam & reſolutionem juvabat; elapſis primis diebus putredinem jam natam auget. Inde hanc regulam in morbis inflammatoriis obſervavi; quamdiu vigent ſimptomata crudæ phlogoſeos, venæ ſectio quacumque die prodeſt; ubi vero jam fientis purulentiæ ſigna adſunt, illa prorſus abſtinui qualiacumque fuerint ſimptomata; ne febrem antea inflammatoriam, jam putridam omnino

(*q*) Quam conſtituerat legem ipſe infregit *Hypocrates*, parvi fecit *Galenus*; nimis illi forſan credebat *Boerhaavius*. In egregio libello *de termino v. ſ. in acutis* acurate collegit Ill. *Klockhof* & patronos & hoſtes hujuſce ſententiæ, mediamque ſequutus eſt viam; ſed miror optimum virum de illa quam moveo ratione nihil loquutum eſſe.

omnino depravarem, & in acriſiam, malignam, lethalemque mutarem.

Alio adhuc modo, quem hic memorare ſuadent nuperrimæ obſervationes, phlebotomia in acutis frequentius abutitur; dum ſcilicet ſola illa nixi, alia remedia antiphlogiſtica negligunt & reiterata ſanguinis eductione obtinere ſatagunt quod operari debent diluentia, emollientia aliaque id genus. Perverſa enim methodo debilitata vi vitali, remiſſio phlogiſticorum ſimptomatum aliquoties ſuccedit; ſed crudis remanentibus humoribus & atonis fibris, pertinax inducitur cachexia, facillime præpedienda, difficillime ſananda. Plures novi puellas quas angina ſic ſanata in chloroſim citiſſime præcipitaverat. Sed e diverticulo ad viam.

Notandum eſt 5. generationem febris bilioſæ non eſſe opus unius horæ, congeruntur ſenſim ſordes, obſtruuntur viſcera, languent gaſtrici ſiſtematis functiones; imperfecta remanet digeſtio, imperfecta ergo & nutritio; nec eadem inde ſanguinis quantitas conficitur, nec idem ille elaboratus ſanguis, ſolus vere inflammari capax. Illo ergo momento quo aliquis bilioſa febre corripitur, jam plethoricus & pancraticus eſſe plerumque deſiit.

6. Plura & gravia ſimptomata inducebat conſenſus nervoſus cujus vim intendit major mobilitas, quam ut ſuperius enarrabatur venæ ſectio ſemper auget, nec alio ſæpe modo delirium & convulſiones ciet.

Sed regeret aliquis frequentiam ſaltem pulſus ſeu febrim minuere debebat? Reſpondeo nec illud præſtitit nec præſtare debuit, dum enim omnes cauſas febris intendit vix intelligitur quonam modo febrim pacare poſſet, ſed res propius tangatur. Quo facilior ubique circulatio eo tardior cæteris paribus motus ſanguinis, ſed ſanguinem mittendo obſtructiones

in

in abdomine ut ſatis jam demonſtratum generabantur, prima inde auctæ rapiditatis ſanguinis cauſa.

Celerius 2. rapitur ſanguis, (rem extra aleam ponit doctrina Illuſtriſſ. *Halleri*) ſi cor magis irritabile & ſanguis magis irritans fiat. In noſtro morbo phlebotomia augebat & vim irritabilem cordis & vim irritantem ſanguinis, altera ergo crebrioris pulſus cauſa.

Nec præter illas quas noſtra præbuit Epidemia obſervationes inferius referendas, deſunt aliæ quæ theoriæ veritatem adſtruant. Dum olim ægros obſervabam in Noſocomio Monſpelienſi *ſancti Eloe*, mos ibi invalebat quem palam prædicarunt clinici *Gouraigne* (*s*) & *Fiſes* (*t*) ſanguinem mittere ſummo æſtu paroxiſmi febrium intermittentium & remittentium; nec ſic defuerunt occaſiones obſervare effectus V. S. in morbis illis qui apud Aquitanos ad bilioſorum genus fere ſemper accedunt. Sancte autem profiteor, vidi pluries pulſum poſt apertam venam crebriorem fieri; numquam vero remiſiſſe frequentiam aut citius terminatum paroxiſmum obſervare datum eſt. Hoc tantum quondam accidit juveni ſanguineo tertiana detento; paulo poſt V. S. caſu laxata faſcia, tanta brevi effluxit ſanguinis quantitas ut lipothimias plures paſſus fuerit, protinus quidem ceſſavit febris, quod

(*s*) *Tractatus de febribus juxta circul. leges Part. III. Cap. II. p.* 433.

(*t*) *Tractat. de febrib.* Cap. XII. *p. m.* 281. talem methodum mens non eſt ſub examen revocare; ſed id moneo; tum ob V. S. reiteratas, tum ob ſtrictiorem diætam, tum ob frequentiores purgationes, innumeros vidi in Noſocomio quos ſimplex benigna tertiana in immedicabilem conjiciebat hydropem; calumniatur cortex, cujus hæc eſt culpa, quod tardius datum reſarcire nequit atoniam quam priora induxerunt medicamina.

quod notari velim tanquam conſonum doctrinæ veterum, ſed diuturno preſſus eſt languore. Duo medici præerant Noſocomio quorum quiſque per ſemeſtre medebatur ſpatium: ubi alter junior, febres biliosas, putridas malignas, venæ ſectionibus, alvi ductionibus, & refrigerantibus curabat, perplures mox morbo & vitæ valedicebant. Senior alter emeſim primo initio adhibens omnes fere *cito*, *tuto*, *& jucunde* ſanabat.

Hic ſæviebant anno 1753. Peripneumoniæ bilioſæ; omnes illi quibus detractus ſanguis perierunt: plures curavi, ſemper omiſſa venæ ſectione, omnes ſanavi; alii quorum aliquos ſub finem morbi vidi, poſt venæ ſectiones difficilius reſpirabant & deliri fiebant; memini quod illos invenerim citiſſima & breviſſima vexatos reſpiratione; vivido delirio, pulſu parvo, celerrimo, frequentiſſimo & duro. Vera fuit methodus curatoria ſi poſt dilutam emeſin, enemata frequenter applicabantur, copioſe potabantur diuretica acida, & frequenter reſpirabatur fumus aceti.

Si celeberrimorum medicorum documenta conſulamus, novum inde robur ſententiæ noſtræ. Adeamus *Hypocraticos* codices, quibus nullos magis veneror & deamo, quibus nullos majoris ponderis habeo, inveniemus ubique febres bilioſas deſcriptas, & ſanatas purgantibus, oximelle, tiſanna, nullibi venæ ſectione; affirmat e contra illa ſanguinem attenuari in cacochimia bilioſa, novam vim acquirere in morbum augendum & proinde declinandam phlebotomiam eſſe. Imo in inflammationibus ſi prævaleret cacochimia alvum ducebat, venam non ſecabat; in ſputo ſanguinis vetat V. S. ſi bilioſus eſt æger (*u*), & occaſionem præbuit *Proſpero Martiano* e præſtantioribus inter interpretes, egre-

(*u*) *De humoribus* §. 67. Foeſ. 51.

gregia monita nobis tradere; *ſi ſanguis*, inquit, *tenuiſſimus ac humori bilioſo proximus, per venæſectionem adhuc magis attenuatur, & periculum eſt ne totus in bilioſum humorem mutetur* (*x*). Monet *Hypocrates* puerperis ex nimia ſanguinis profuſione oriri febres bilioſas (*y*) & aureè in eum locum ſic commentatur *Martianus*; V. S. *refrigerat quando calor a ſanguine provenit, nequaquam vero quando a cacochimia, imo apparet manifeſte, corpus e bilis copia excalefactum, miſſo ſanguine calidius reddi* (*z*). Alios plures locos habet memoria teneri dignos ſed imprimis enarrationem in coacam prænotionem (*a*) qua Princeps V. S. vetat, ſi cibi faſtidium & tumor hypocondrii. *Areteus*, *Celſus*, *Alexander*, *Hypocrati* ubique aſſentiunt. Diffiteri non poſſum, *Galenus* diſſentire videtur, qui pluribus locis venæſectionem in febribus putridis ſuadet; ſic vero ſolvit nodum quicumque illius opera attente perlegit. Talis fuit ut plura hypotetice ſæpe magis quam clinice poſuerit; ſupponit ſemper vaſorum adeſſe plethoram cui medendum eſt antequam alia remedia adhibeantur, ſed fallitur *Galenus* & ruente baſi ruit ædificium; ſibique non ſemel diſſonus, quoties ſeponit ſiſtema plethoræ non aliam quam noſtram doctrinam prædicat. In *methodo medendi* ponit *venæ ſectionem nec obſtructionem nec putredinem curare* (*b*); in ipſo libro quo contra *Eraſiſtratum*

(*x*) *Magnus Hypoc. Cous Proſp. Martiani.* p. 207.
(*y*) *De morbis mulierum* Lib. II. §. 1. Foeſ. 637.
(*z*) Ibid. p. 193.
(*a*) *Coac.* 401. *Foeſ. p.* 196. *Martian* 411. conferri debet *Duretus* in eundem aphoriſmum p. 370.
(*b*) Libr. II. Cap. XIV. *oper. omn. T. VI. p.* 278. Eodem & ſequenti capite venæ ſectionem in febribus putridis inſtituit, unde hæc diffidentia? In febribus putridis ratione putredinis & obſtructionum v. ſ. vetat, quam adhibet alias ratione plethoræ & phlogoſeos.

sum partes venæ ſectionis tuetur, illos acriter reprehendit qui in omni febre putrida ſanguinem ſine diſcrimine profundunt. Putridarum ergo plures noverat ſpecies; alia eſt cui prodeſt ſanguinis miſſio, noſtræ nocebat; in priori illam inſtituiſſet *Pergamenſis Doctor*, in poſteriori abſtinuiſſet. E recentioribus, in noſtris militat caſtris *Fernelius*; *venæ ſectio exquiſitæ tertianæ eſt incommoda, ut quæ utilem ac neceſſarium humorem detrahit, relicto impuro ac noxio. Sub hac enim febre attenuatum corpus eſſe ſolet paucique ſanguinis: bilis vero acrior ipſa febris materia ſub cavo jecoris exuperare & æſtuare, quam venæ ſectio minime eximit, nec proinde morbi ſubſtantiam minuit. Imo vero ſi vel ſponte vel arte profuſus ſanguis ſit, plerumque deprehendes bilem acrius ferocire, febremque invaleſcere* (*c*) *Sancta Crux* caſum memorat quem tenere cuperem illos qui ſemper ex febre & calore ſanguinem mittendi occaſionem arripiunt. Calor intenſior, urina rubra, dolor gravitaſque capitis, inquietudo, cibi faſtidium, lingua arida & nigra obſervabantur in præclaro viro ad quem vocatus eſt vigeſima octava die morbi; æger difficile reſpirans videbatur agere animam cum dolore intenſo dorſi & pectoris, pulſu veloci inæquali & magno: alter Medicus præſcripſerat venæ ſectionem quam inhibuit *Sancta Crux* capta conjectura ex contrectatione ventris inferioris in iſto eſſe febris originem; quam protinus amovere incepit cliſtere purgante; excretaque bile aduſta, aliiſque craſſis purgaminibus, ſtatim multo melius ægrotus habuit (*d*). Ill. *J. Gorterus*

(*c*) *De methodo curandi febres* Cap. II. *p. m.* 388, quæ verba comparari debent cum locis citatis *Fiſes* & *Gouraigne*.

(*d*) *De impedimentis magnor. auxil* Libr. III. Cap. XII. huc quoque legatur aureum *Barker* opuſculum *Eſſay* &c. p. 353.

terus Archiater Ruſſicus qui doctrina veterum & recentiorum nutritus propriaque dives experientia medullam practicam nobis tradidit, capitulo de febre bilioſa ſic habet *abſtinendum a venæ ſectione* (*e*) & alibi *nocet V. S. in morbis qui excitantur a cacochimia* (*f*). In epidemia quam deſcripſit *Borelli nullius auxilii erant ſanguinis miſſiones, quia nulli qui periit deerat hujuſmodi remedium, etiam ad tertias vices repetitum* (*g*). Et vereor ne morbum multum auxerint, *quam inepta enim fuerint ad humores corruptos circa ventriculum hærentes educendos, unicuique palam eſt* (*h*). Illas in pleuritidibus bilioſis ex obſervationibus Cl. *Guideti* vetat *Bianchi* ſi venter turgeſcat: *hoc namque præſidii genere in biliari pleuritide, ut ut acutæ ſigna incauto colluderent, plurimos repentine proſtratos, & ad ſeptimam aut nonam e vivorum numero ſublatos dolenti certe experientia perſpeximus* (*i*). *Venæ ſectio in lipyria bilioſa numquam proficua eſt* (*k*). *In tertiana continua bilioſa pernicioſa, procurata a phlebotomo ſuccuſſio ſanguinis bilis excurſiones augebat* (*l*). *In principio morborum, bilis inſurgentes æſtuationes aut copiæ, ad excurſus & impetus per vaſa non ſunt adigendæ ablatione reſiſtentium atque obturantium ſanguinearum particularum, per phlebotomias inſtituta; huc opportune referendus videtur textus ille Avicennæ.* „ Phlebotomia multoties facit febrim & mul-

G „ toties

(*e*) *Siſtem. prax. n.* 230.
(*f*) *Compend. tr.* 54. §. 61.
(*g*) *Malpighi* ubi ſupr. p. 28.
(*h*) *Glaſſ Comment.* 7. *p.* 115.
(*i*) *Hiſt. hepat. P. III. p.* 248.
(*k*) Ibid. 625.
(*l*) Ibid. 636. aureum paulo infra legitur monitum *Guideti* ſed prolixius ut hic tranſcribatur de noxiis v. ſ. & uſu emeſis.

„ toties facit putrefactionem „ *& ille Zacuti* „ *Luſitani* „ In febribus bilioſis V. S. extracto „ ſanguine , qui ſua benignitate & temperie „ humoris bilioſi acrimoniam retundebat, cho- „ lericorum ebullitionem facere poteſt „ (*m*). *Tres homines vidi robuſtiſſimos ſimplici tertiana affectos qui per inſtitutam phlebotomiam die febrilis recurſus , ingruente hinc paroxiſmo in horrendam choleram inciderunt , animamque bilis torrente ereptam efflarunt* (*n*). *Secta vena in morbis bilioſis* , ſic effatur Cl. *Junkerus* , *extra vehementem plethoram & longam aſſuetudinem, raptum humorum ad caput inducit , cum deliriis & faucium inflammatione* (*o*). *V. S. curſum ſanguinis in febre bilioſa augendo , æſtum fervoremque ſanguinis auget aut confirmat* (*p*). Innumeros tacebo teſtes , omiſſa verum nolim verba J. *Huxam* cujus tanta mihi eſt authoritas & P. *Walcarenghi*. *Ubi acris & bilioſa colluvies exundat , aut per vomitum aut per alvum rectiſſime expurganda eſt*; *nam hujus præcipua ſedes eſt in primis viis, viſceribus abdominis ac vaſis meſeraicis. Fateor quidem quod tota ſanguinis maſſa hac quoque ſcatet ſæpiſſime, ſed ne ſic quidem indicatur V. S. quæ nimiam ſanguinis quantitatem utique minuere poteſt , acrimoniam corrigere nequit: Quod cum ita ſit, detrahendo cum ſanguine vires , non acrimoniam , officit . ---- Turpiſſimos ſane errores atque immedicabiles hac in re vidi ; imo & plus vice ſimplici perdolui* (*q*). *Sanguinis*

miſſio

(*m*) Ibid. 646.

(*n*) Ibid. 701. Ubi proſtant plura alia exempla funeſtæ v. ſ. in bilioſis febribus.

(*o*) *Conſpect. med. th. pract. p.* 515.

(*p*) *Scardona aphoriſm. de cognoſc. & curand. morb.* T. *IV. p.* 85.

(*q*) *Obſervat. de aere & morb. epidem.* T. *II. p.* 177.

miſſio in hiſce febribus ob quam plurimas cauſas inconveniens omnino putatur, etenim ſi ut toties docuimus, febrium hujuſmodi cauſa plerumque a bile variis modis peccante derivanda eſt, quidnam proderit ſanguinis miſſio, propter quam bilis jam a ſanguine ſeparatæ nihil penitus educi poteſt? Præterquam quod ipſius ope laxantur admodum atque enervantur ſolidorum fibrillæ, ipſarumque ideo vis elaſtica pari ratione diminuitur; quare minus aptæ redduntur ut conſuetis tam neceſſariis oſcillationibus bilioſum humorem ad optatas excretiones ſollicitare queant (*r*).

Ratione & authoritate fretus huc uſque contra venæ ſectionem in morbis bilioſis militavi, quid docuerit febris noſtra nunc perpendendum. Inter plebem novi perplures mortuos eſſe brevi poſt venæ ſectiones ſubito repetitas; quid ipſe viderim narrabo; phlebotomiam quondam initio morbi acriter ſollicitanti ægro ut ut renuens denegare non potuì, parum educebatur ſanguinis, pænituit tamen; biduo elapſo me inſcio hirudines hæmorroidalibus vaſis applicari voluit æger, copioſa inſequuta eſt hæmorragia & brevi omnia exacerbata ſimptomata. Homines duo trigenarii, firma antea gaudentes ſanitate, ambo ob vehementiam cephalalgiæ & caloris ad venæ ſectionem proprio marte bis alter, alter ſemel confugerunt. Primum ſexta morbi die inviſens, tanta virium jactura, tanta anxietate, calore adeo mordaci, cephalalgia tam acerbra & tali mobilitate detentum inveni ut de evacuantibus vel leviſſimis cogitare nefas fuiſſet, ut ut enim morbi cauſam educendo debilitati ſæpe medeantur hic tanta erat & ex cauſa morbo aliena, ut metuerim ne primo evacuationum impetui, mobilitate forſan ultra præviſionem aucta reſiſtere nequiret. Mitiſſimis

(*r*) *Medicin. ration.* §. 78.

mis cardiacis acidis, enematibus quotidianis & epiſpaticis paulatim redierunt vires, & tunc evacuando morbus quadantenus ſanabatur; ſed materia debilitatis viſceribus adhærens & hepatis obſtructionem relinquens, longam coegit curationem & aeris mutationem: per plures menſes omnibus functionibus impar remanſit æger, vixque poſt annum primas recuperaverat vires. Secundus, vir agricola mox poſt celebratam venæ ſectionem correpus eſt tuſſi, oppreſſione, ſopore & debilitate, quæ illi periculi mihi faſtidii multum fecerunt, nam difficillime ſuperata febre, medendum fuit debilitati quam & generata atonia & impetus tuſſis pulmonibus conciliaverant; tabemque diu metui & tabem illam peſſimæ ſpeciei in qua, nulla quidem pulmonum ulceratio, ſed talis laxitas ut omnes affluentes, ſtagnantes & mutati humores cum orthopnea ſub crudi glutinoſi formam ejiciuntur. Secundi fuiſſent illi ſtatus ſi omiſſa venæ ſectio; ſed quid in tertio proderat? Reſponſum in promptu eſt. Si genus morbi remedium aliquod non fert, quo gravior erit ſpecies eo magis nocebit remedium illud; nec aliter res hic ſuccedere poterat; ſumma enim putredo, generalis infectio, peſſima ergo V. S. fidem faciunt obſervationes, & inter alias, quam numquam recordabitur cor niſi cum planctu, mors egregii viri omnibus bonis dilecti. Triginta natus annos, menſe Junio anni 1756. corripiebatur poſt longas ſollicitudines febre rheumatica tunc hic epidemica quæ lubenter ad diaphragma ruebat; aliquot detrahebantur unciæ ſanguinis ſcopo madorem cutis acceſſere quod pro votis ſucceſſit: quinta morbi die poſt urinas turbidas perfecte largum deponentes ſedimentum, & ſudores copioſos recte valebat; ſexta, febre omnino expers erat ſed ſubſultus nonnulli artuum ſubinde ſubito recur-

rentes

rentes monebant pravum ſubeſſe fomitem in primis viis, quem craſtina die ſubducere licebat, ſiquidem omnia ſimptomata phlogoſeos jam aberant. Sed proh dolor, veſpera me abſente, poſt animi pathema perpeſſum nova & prorſus, aliena ſimptomata oriuntur. Pulſus qui in morbo regularis, altus, firmus erat, nunc frequens, celerrimus, minimus; mens uſquedum ne minimum alterata ſibique firmiter conſtans ſubito delirio quod tamen evanuit perculſa: urinæ aquoſæ, cutis arida: alvus cruda alba egerit, reſpiratio ſit difficilis. Quænam Idea morbi? Cauſis epidemicis communibus, curis præſertim, ſollicitudinibus, triſtitia, fomes putridus in hepatico ſiſtemate generatus erat, nihil enim bilis colatoria præ mœrore conſtringit. In tali ſtatu incurrit febrem catharralem cui ſumme favebant, & tempeſtas & res domeſtica tunc temporis: nec vehemens fuit quia in corpore cujus humores putride infici incipiunt non generatur valida phlogoſis, ſed peſſimus effectus, nam aucto calore putrefiebat promptiſſime fomes morbidus; lethale animi pathema mœſtum, nam 1. *ex pathemate prompte quiſquis ſibi peſſimum venenum in corpore generare poteſt* (*s*); 2. bilis tum ſanæ tum putridæ ſecretio prorſus impedita inde mox fœces albæ & forſan putridi raptus in ſanguine, quis enim ex ſimili cauſa icteros non obſervavit; 3. ob tubulorum omnium ſpaſmodicam contractionem omnes aliæ pariter præpeditæ ſecretiones & excretiones, inde urinæ tenuitas, cutis ſiccitas. 4. Citiſſime inde, prioribus concurrentibus cauſis occupatum cerebrum. Res erat ergo cum morbo putrido & ſpaſmodico: indicationes eædem ac toties deſcriptæ quoad putriditatem, ex complicatione verum contra indicationes;

(*s*) Frider. *Hofmann.*

emeſim enim vetabant, tum ſpaſmus ſiſtematis gaſtrici quem arguebat ſenſus ille anxietatis circa ſcrobiculum cordis de quo conquerebatur æger, tum proclivitas epidemiæ vigentis ad diaphragmatis inflammationem, ſumma ſit enim lex medico ut ſi prodeſſe non poſſit ſaltem non noceat. Morbus tanquam Lipyria biliaris ſpectari poterat, *in qua V. S. numquam proficua eſt; neque in principio valida utendum purgatione ob inductam ventriculi & inteſtinorum ſpaſmodicam habitudinem* (*t*). Quid ergo agendum? Media vocatus nocte enema præſcripſi & hauſtum ex decocto hordei ad manum reperiundo cui inſtillabatur liquor anodin. miner. Hofmanni quem præſtans inveni remedium poſt animi pathemata ſi potus aliquis tepidus ſuperbibitur. Remittebant ſimptomata & mane tuto adhibere potui mannam tamarindos & parvam doſim tartari emetici ſolubilis (*u*) in decocto graminis ſolutos cujus uncias tres omni hora ſumeret; & doſi exhauſta, idem graminis decoctum cum ſucco acetoſæ & citri. Veſpera rediens, ruris enim degebat æger vix dimidiam partem hauſtus purgantis uſurpatam fuiſſe inveni, ptiſannæ acidæ parum quoque potaverat, ſed frequentius liquorem anodinum mineralem; tres ſedes bilioſas depoſuerat; mens quam lucidam mane ante diſceſſum reliqueram nunc occupatam inveni; pulſus celerrimus, nox ſequens inſomnis, increvit delirium. Mane præſcripſi eamdem eccoproticam potionem & aliam ex decocto hordei, ſirupo acido ſpirituque nitri, & for-

(*t*) *Bianchi & Guideti* p. 625.

(*u*) Satis jam tum aliunde tum ex ſuperioribus enarratis innotuit præſtantia tartari emetici parva doſi, magno vehiculo, alvum ducendi ſcopo uſurpati; optimus eſt enim ſtimulus ne minimum irritans, ſicque mitioribus anteponendus ſalibus.

& fortes plantæ pedum ſinapiſmos ; diſceſſi, omnia omittuntur, de conſultatione cogitatur, poſt meridiem congregatur ; loco prædictarum potionum ſerum lactis tamarindatum præſcribitur, loco ſinapiſmi veſicatoria ſuris, craſtina die omnia in pejus ruebant, nullæ ſuccedebant evacuationes ; poſtridie convocatur conſultatio ſexta matutina ; ſumma agitatio, delirium vividum phreneticum, pulſus ut ante frequens, parvus, celer, quod peſſimum, ſanantur enim phrenitides cum pulſu forti, tenſo, lento, vix verum cum exili & celeri. Delirii cauſa venæ ſectio cui fruſtra intercedebam inſtituitur, furit magis æger (*x*) & intenduntur hypocondria. Trihorio elapſo, ſuaſu advenarii medici, me ſemper invito, ſaphenæ ſectio repetitur, delinquit æger, pacatius deinceps per aliquot horas delirans ob defectum virium, cum viribus enim reſurgebat phreneſis, plures ingeruntur emeſis doſes vix ſuccedentibus evacuationibus, peſſima nox. Craſtina die ſuaſu quartæ conſultationis fortis propinatur purgatio vix ſenſibili pulſu, forti delirio : alvum non depoſuit ; acre poſt meridiem adhibetur cliſter, immenſis ſuccedentibus evacuationibus & continuis lipothimiis pulchram efflavit animam deſiderandus æger. Anne prima methodus poſteriori anteponenda fuiſſet ? Medicis judicandum relinquo. Sane nec acerbius nec citius inſequi poterat lethum : omnino ſepoſita eſt virium indicatio, nec alia adhibita remedia quam illa quorum futilitatem demonſtravi. Anne hic balneum frigidum ? Sic ſane veteres. *In ſinocho*

(*x*) Pulchræ obſervationes eundem eventum teſtantes leguntur in utili & amæno diario Clar. *Vandermonde* T. IV. p. 468. T. VI. p. 240. 463. *Dans le delire de ces fievres bilieuſes on a remarquè que la ſaignèe du pied etait mortelle* ibid. p. 472.

cho enim putri ſi æger eſſet Euſarkos , juvenis , cœli ſtatus æſtuans , febris vehementiſſima , in frigida natationem permittebant (*y*).

Vir robuſtus, faber ferrarius, bilioſus, vino deditus, menſe Januarii labentis anni, intra pocula corripitur horrore, atra evomit (*y*); ſudorifera nec quicquam aliud propinant familiares; quinta die Chirurgus mandatus ut venam ſecaret illud denegavit niſi mea fretus ſententia: circa meridiem accedens phreneticum inveni ægrum jam a biduo; facies erat cadaveroſa, anhelatio ſæva, pulſus minimus, intermittens, quo pejorem obſervaſſe non memini: á morbi initio alvum non depoſuerat. Lethali inſtituta prognoſi, enema, grata cardiaca acida, & lintea aceto madida abdomini impoſita ſuaſi; omittuntur omnia; tertia pomeridiana, ignotus barbitonſor V. Sectionem celebrat; per minuta aliquot ſæviſſima phreneſis; protinus ſubita mors. Ultimis vitæ horis delirans venæ ſectionem acriter ſollicitabat; inde diſcant plures, quam parum fidendum ſit ſæpe cœco inſtinctui ſi rationi diſſentiat.

Nec

(*y*) *Sennertus de febribus* Lib. II. Cap. X. *p.* 290. confer. *Primeroſius*, *Avicenna* , *Coelius Aurelianus Celſus* , inprimis *Galenus* tum *method. med.* L. II. Cap. XX. *oper. t.* 6. *p.* 288. tum paſſim alibi. Plures collegit hiſtorias *D. Baynard* quibus conſtat egregii uſus fuiſſe balneum frigidum in febribus ardentibus delirio ſtipatis, *Pſycroluſia or the genuine uſe of hot and cold bath* p. 229 utile reperitur exemplum in opuſculo cui titulus *Legs d' un ancien medecin à ſa patrie* p. 121. Conferri debet *Vvillis de anima brutorum Part. II.* Cap. X. *oper. t.* 2. *p.* 265. Similes hiſtoriæ ubique colligi poſſent; natura præmonſtrat viam, animum addit ratio, quidni illam premere audemus. Rident avi; ridebunt poſteri puſillanimitatem noſtram, pænas luunt Coævi.

(*y*) *Morbis quibuſvis incipientibus, ſi bilis atra vel ſurſum vel deorſum prodierit lethale. Hypocr.* L. IV. *Aph.* XXII.

Nec magis proderant hæmorragiæ ſpontaneę raræ quidem, ſed lethales ex diſſolutione ſanguinis & atonia vaſorum. Homo robuſtus, pinſor, primis diebus ſat mite laborans nihil niſi decoctum herbarum vulnerarium cum theriaca adhibuit; ingraveſcente morbo purgationem, tum aniculæ ſuaſu decoctum cardui benedicti & cornu cervi, putridæ nocivæque indolis. Nona mandatus, debiliſſimum illum inveni, obſcure delirantem, floccos carpentem; petechiæ cutem pectoris & colli obſidebant, diarrhea fœtida quid ſanguinei oſtendens jam aderat; omnis demum abjecta ſpes: potionem grate cardiacam & antiſepticam quæ loco potus eſſet pro adſtantium ſolatio præſcripſi; nondum parata erat cum hæmorragia naribus & alvo infauſtum diræ ſorti eripuit. Quid duę ultimę hiſtoriæ nos docent? Veram plurimarum malignarum generationem, ſi bilioſa nimirum putrida colluvies tempeſtive non evacuatur emeſi, ſed V. S. aut ſudoriferis exacerbatur, & in ſanguinem conjicitur. Hæmorragiam uterinam nullam, nec menſtruationem tempore morbi obſervavi. Vir nobilis habitualibus copioſis hæmorroidibus, & quotannis ſtupenda hæmorrhagia narium vexatus, noſtro morbo detinebatur nec guttulam ſanguinis una alterave via amiſit. Sapiens Natura, adeo infenſam criſim non moliebatur, quandiu œconomia animalis nondum obruta erat.

Supereſt explicandum, ne mancum remaneat opus, cur Illuſtres medici, a vetuſtis temporibus ad noſtrum ævum, venæ ſectionem in morbis putridis adhibuerint. Rem breviter jam tetigi ſupra; hæc eſt nimirum ratio, quod duplex ſit putridorum claſſis, alii ſimpliciter putridi quibus nocet ubique V. S. & quos venæ ſectione numquam debellare tentarunt viri artem medicam rite callentes; cavendum vero,

quod

quod ſæpe famam inter clinicos ſibi concilient viri omni accurata doctrina carente, & qui ut ut illuſtres ab ignaris clientibus habiti fuerint, aliis medicis & æquis poſteris funeſti ſunt empirici, quorum lethifera praxis angue & cane cautius vitanda eſt.

Secunda eſt claſſis morborum illorum putridorum in quibus adeſt ſimul diatheſis phlogiſtica quam egregie debellat V. S. Non noſcimus ſatis uſquedum inflammationis theoriam, aut ſtimulorum agendi modum, ut dilucidare poſſimus cur nunc putredini conjungatur inflammatio, nunc abſit; experientia rem ſic eſſe nos docuit & ſimptomata pathognomonica utriuſque caſus protulit, plura quotidiana praxis præbet exempla, proſtant ubique tum alibi tum in pulchris hiſtoriis epidemiarum quas poſteritati conſignavit Illuſt. *Huxam*. Illi quam tam accurate delineavit Cel. *Pringle* paulo plus immorari liceat. Dicitur quidem *febris bilioſa*, ſed attente conſideranti mox patebit morbum fuiſse ſimul inflammatorium, mancamque denominationem; pluries de inflammatione ventriculi loquitur Cl. Author; vere inflammatoria erat phreneſis quam antiphlogiſticis debellat. Jam fugata phlogoſi expugnanda remanebat bilioſa ſaburra quam pulchre everrebat emeſi & purgationibus quæ in morbis mere inflammatoriis adeo nocivæ reperiuntur. Sed res erat Edimburgenſi medico cum militibus robuſtis, juvenibus, montanis, liquorum ſpirituoſorum potatoribus omnibus demum inflammationis cauſis obnoxiis, & in quibus facillime ſequitur ſtimuli applicationem. Sic prima fomitis putridi noxa erat phlogoſeos generatio. Tunc, ſi quis emeſim aut purgationem ante inflammationis reſolutionem adhibuiſset, omnia ſane peſſundaſſet. Talis morbus tanquam viſcerum inflammatio haberi & curari debet,

va-

valentque aurea monita *Hypocratis*, *Jecoris vehementiſſimi dolores*, *& lienis gravitates*, *atque aliæ inflammationes & morborum collectiones ſolvi nequeunt ſi quis eas primum medicamento purgante agreſſus fuerit. Verum in his V. S. præponenda eſt. Deinde ad infuſa per alvum veniendum, & medicamento purgante utendum. Quicumque autem ſtatim per initia morborum inflammationes medicamento purgante ſolvere tentant, ii de contenta quidem atque inflammata parte nihil detrahunt, cum nihil cedat quæ adhuc cruda eſt affectio, quæ vero morbo reſiſtunt & ſana ſunt contabefaciunt. At debili reddito corpore morbus ſuperior evadit, qui ubi corpus ſuperarit curationem non admittit* (z). Totum ergo curationis arcanum, eſt, ut antiphlogiſticis debellata inflammatione morbus ad ſtatum putredinis adducatur. Sed notandum eſt 1. quod ut jam monui, ubi cacochimia adeſt, inflammatio quatenus talis numquam diuturna & pertinax eſt ſed mox in putridum mutatur tabum: fidem faciunt ſcorbutici, ſcrofuloſi, venerei qui falſa ſæpe, vera numquam laborant inflammatione, & ſimptomata quibus vexantur, antiphlogiſtica medicina exacerbantur. 2. Simul ac inflammationis cruditas reſoluta eſt, ad putredinis medelam deſcendendum. 3. Dum feli-

(z) *De victu acutorum* Cap. XXXVI. *Fœſ. p. 396.* Quod in caſu ſpeciali ſuadet *Hypocrates* tanquam univerſale axioma tradidit *Sidenham*, nec inde tamen diſſenſus inter tantos viros; ſed ut monet vir ingenio, doctrina, praxi & elegantia illuſtris, viſcoſitas ſeu diatheſis phlogiſtica humorum longe frequentius obſervatur in Anglia quam cacochimia aut corruptio, & e contra apud Græcos. Obſervavit tamen ipſe & deſcripſit, obſervarunt alii plures Britanni Medici febres venæ ſectionem prorſus reſpuentes & purgationem initio poſcentes. *Barker agreement between* &c. Gall. *Eſſay &c. p.* 344.

ſeligimus remedia quibus impugnanda eſt phlogoſis, non prorſus amovenda idea comitis putredinis. 4. Demum probe tenere debet medens quiſque, morbos abdominis qui initio mere inflammatorii erant, relinquere, poſt ſanatam inflammationem, putrilaginem, novi morbi ni amoveatur fomitem. Dum enim inflammatur pars aliqua in abdomine, omnes aliæ ſimpathice ſaltem, quandoque idiopathice vitio ob vicinitatem propagato laborantes, omnes perturbatas habent functiones; criſpatura læduntur ſecretiones, ſtagnant humores, calore febrili cito putreſiunt, inde generatur fomes morbidus. Ante aliquot annos vidi extra urbem virum triginta annos natum, undecima excurrebat morbi dies; ſęva laborabat hepatitide, *morbo frequentiori quam vulgo quidem cenſetur, licet præſens ſæpe ignoretur, negligatur, vel alterius morbi titulo tractetur* (*a*), quod & hic evenerat. Venę ſectiones plures & ultra modum ni fallor inſtitutæ fuerant, enemata frequenter utili ſane conſilio applicata, bechica pinguia minus fauſte, ſcopo expectorationem juvandi, uſurpata. Debilis & anxius erat, non latebat vera natura morbi, quem coctum eſſe, pulſus, urina & abdominis palpatio uſque dum neglecta ſuadebant. Serum lactis tamarindatum cum criſtallo minerali largiſſime hauriri præſcripſi, & bihorio poſt primum ciathum elapſo, purgans enema injici. Paulo poſt bilioſæ, ſemipurulentæ, fœtidiſſimæ ſuccedebant ſedes, alvum pluſquam triceſies intra nictymerum depoſuit; anxietas & hypocondrii tumor evaneſcebant; recedebat flavedo cutis, breviſſime leniorum abſtergentium uſu optime convaluit.

Æſta-

(*a*) *Boerhaave aph.* 907. ubi de paraphrenetide agitur; ſed non minus, in noſtris ſaltem regionibus hepatitidi congruit monitum illud: rariorem alibi eſſe morbum monuerunt boni viri.

Æſtate anni elapſi, in Xenodochio noſtro decubuit homo germanus, juvenis; urbem accedens benevalens ſed calens & ſitiens, affatim aquam e fonte ſalientem potaverat. Mox totum abdomen imprimis hypocondrium dextrum valde tumuit & doluit, febrique anxietate & ortopnea premebatur; inflammationem fugaturus, poſt V. S. adhibui cataplaſmata e mica panis & lacte abdomini impoſita, potum copioſum mitiſſimum & enemata; quinta die manam ſero lactis dilutam; & quod fere ſtupui immenſa putridæ & fœtidæ cacochiliæ quantitas educta eſt, cujus maxima pars paucis abhinc diebus generata fuerat in juvene qui optime valebat nec bilioſam redolebat conſtitutionem; octava die Xenodochio valedixit. Jam notaverant veteres duplicem dari lipyriam, aliam phlogiſticam, aliam bilioſam; in poſteriori ſola proderant antibilioſa, in prima, initio adhibenda erat venæ ſectio (*b*).

Satis ſuperque nunc patet quando in febribus bilioſis noceat ſanguinem mittere, quando prodeſſe poſſit. De uſu venæ ſectionis in aliis morbis diſſerere nec mens eſt nec locus; breviter tamen addere liceat illam omnibus cacochimicis, debilibus, catharroſis, ſcorbuticis, viſcido frigido laborantibus, verminoſis damnoſam eſse. *Ubi parum ſit ſanguinis ut in virginibus decoloribus, carnificis eſt non medici liberaliter venam aperire* (*c*). Monuit *Lanciſi* febrem epidemicam deſcribens, caute cum V. S. agendum eſſe: *non niſi corporibus probe nutritis, vermiumque labe non affectis venæ ſectionem adhiberi velim* (*d*). Sęviter nuperrime hic poſt plures phlebotomias obiit puella debilis, laxa, valetudi-

(*b*) *Bianchi* & *Guideti p.* 621. 626.
(*c*) *Ballonius epidem.* L. II. *t.* 1. *p.* 108.
(*d*) *Hiſtor. febr. epidemic. Balneo-Regienſis* Cap. IV. §. 20.

tudinaria, putrida verminoſa febre laborans, quam jugulaſsent emeſis, purgantia & inprimis acida (*e*). In peripneumonia notha hic vere anni 1,54. ſæviente, tot obierunt quot reiteratam phlebotomiam experti ſunt; quo magis enim detrahebatur ſanguis, eo plus augebatur viſcidum illud quo ſanguinei numquam laborant, increſcebat frequentia, minuebatur vis pulſus, obruebatur omnino pulmo; inde poſt ſingulam venæſectionem difficilior fiebat reſpiratio, occupabatur cerebrum, anxie peribat æger.

In ipſis morbis inflammatoriis poſt unam alteramve venæ ſectionem, tertiam ad ſummum, quicquid ſanguinis ultra aufertur morbum plerumque incurabilem efficit; omnis præpeditur reſolutio, æquilibrio inter ſolida & fluida deſtructo turbatur prorſus circulatio; omnis impetus ad partem ægram dirigitur; augetur ſtagnatio phlogiſtica & impingitur pro ratione ſanguinis ultra æquam quantitatem educti; vel demum ſi adhuc pergitur & pergitur ſæpius, pauxillum ſanguinis rubri remanens, in majoribus circulat vaſis dum in minoribus perfecta generatur ſtaſis, oritur, in morbo inflammatorio, gangræna ex debilitate, brevi mors ſequitur. Non deſunt viæ quæ omiſsę phlebotomiæ locum teneant, & niſi urgeret aliquoties caſus, ſemper tuto omitti poſſet; labes verum quam infert ſanguis inoportune debili demptus, vix ac ne vix quidem ſępe reſarciri poteſt. Nec nugas cano obloquantur quicquid innumeri, ſed veritates quas demonſtrat theoria, & quod lugendum, quotidiana praxis. Quid

(*e*) Deſcribit Cl. *Scardona* epidemiam putrido verminoſam in qua perpulchros habuerunt effectus acida, *inſigni facta vermium dejectione*, *ſiti*, *immoderatis evacuationibus ceſſantibus*, *perfectiſſime convaleſcebant* ubi ſupra Lib. III. Cap. VI. *t.* 3. *p.* 78.

Quid demum? *Sanguis naturæ theſaurus eſt & amicus* (*f*). *In ſanguine focus eſt vitæ* (*g*). *Sanguis eſt vivificum nectar quo partium omnium fugax vivacitas recreatur atque reficitur, ad vitæ & animalitatis conſervationem & diuturnitatem* (*h*); virorum gallorum laude majorum aurea verba, quæ utinam menti medentium continuo adeſſent. Quot orco quotidie tradunt, qui omni miſſa ratione, venæ ſectionem in acutis præſcribunt uſque dum remittant ſymptomata, quæ toties viribus remittere præpediunt? Quot, illi qui celebrare non deſinunt venæſectiones illas nefandas quas præſervatorias vocare amant, quas æquius deſtructorias diceres? Uſu repetito venæ ſectionis firmiores ſenſim atterruntur valetudines ut jam diu noverant veteres (*i*), quid debiles, quæ non frequentiorem habent cauſam quam defectum elaborati ſanguinis? Senſim augétur debilitas, peſſundatur digeſtio, præpeditur tranſpiratio, generatur cacochimia, nervorum morbi ingeruntur, catharrorum affluit proterva, ſuccreſcunt obſtructiones, innumerique alii ex his tanquam e trunco progerminant morbi. Objiciunt fruſtra paucis diebus poſt V. S. reparatam eſſe ſanguinis demptam quantitatem, & experientiam citant Cl. *Dodart* qui ſibi uncias ſanguinis ſexdecim detrahi curavit, & quinque elapſis diebus, ne minimum aucta alimentorum quantitate, magis in ſtatera ponderavit quam ante demptum ſanguinem. Inde enim non utilitas ſed noxia V. S. evincitur; incrementum enim illud ponderis arguit

(*f*) *Ballonius ubi ſupra*.
(*g*) *Duretus in coacas p.* 285.
(*h*) *Ibid.* 192.
(*i*) *Hypocrates* L. I. *aph.* 3. qui locus magna attentione dignus mihi videtur, egregia enim principia habet circa hanc materiam quam nullus medicus ſufficienter hucuſque tractavit.

arguit ſecretiones & excretiones diminutas fuiſſe, debilitatis viſceribus & vaſis; cacochimiæque incipientem generationem. Hæc omnia accuratiſſime expoſuit Ill. *Maty*, pluresque valerent *Eliſeos* jam colentes, ſi medens quiſque illius verba pro norma praxeos habuiſſet; *Prava conſuetudo, quam hic notare convenit, eſt venæ ſectionis frequentior repetitio. Sunt qui ſæpius in anno venam ſolvi amant, multiſque malis ſe hac methodo liberari ſperant. Damnoſa ſane opinio! Venæ enim ſectio ſemper minuit ſanguinem, ſpiritus, & vires. Ad hanc ergo tantummodo in neceſſitate eſt confugiendum, ut ad remedium ſemper amarum, aliquando tamen neceſſarium. At qui his frequentibus ſectionibus ſe ſubjiciunt, optimum ſanguinem deperdunt; æquali copia quidem alterum acquirunt, ſed non eadem qualitate. Novus enim hic eſt crudus, aquoſus, lentus, circulare nequit, hydropes creat, tandem fere inevitabili caſu morbos ex debilitate, defectu ſanguinis & ſpirituum, abundantia aquæ producit* (k). Longe increſcit malum uſu purgationum, aquarum calidarum, & vitæ ſedentariæ, quæ tres cauſæ venæ ſectioni conjunctæ, genti humanæ paulatim delendæ ſufficiunt. Nec efficax magis adeſt cauſa degenerationis illius & depopulationis quam ſuperius lugebam (†).

Ab-

(k) M. Maty *Diſſertatio de conſuetudinis efficacia in corpus humanum Leidæ* 1740.

(†) Teſtem volo unicum, miſſa aliorum nube, librum Cl. *Petri Barrere* qui nuper in manus incidit, *Obſervations Anatomiques tirees des ouvertures d' un grand nombre de cadavres* 4. 1753. Utiliſſimum ſane opus, ſi inde diſcant medici infandam authoris praxim vitare; quod non dictum velim animo carpendi probum virum laude ſua in hiſtoria naturali dignum, ſed ut præmoneantur tirones contra authoritatem clinici, celebritate quadam apud gentiles fruentis.

Abſorbentium in bilioſis febribus conſideratio.

Abſorbentibus a *Stahlianis* & pluribus aliis commendatis prorſus abſtinui. De illorum futilitate tam pulchre diſſeruit Celeb. *Tralles* ut novi quid addere non detur. Summa ſit, quod nullam vim niſi abſorbtivam acidi habeant: & ubi deeſt acidum, ventriculum inutili pondere gravant. In morbo noſtro bilis peccabat nimia alcaleſcentia, & ut ſubigeretur neceſſaria erant acida; abſonum autem eſſet eidem morbo opponere & remedia utilia & alia quæ illorum virtutes caſtrant, ſicque omnem effectum infringunt. Plura dantur pręterea abſorbentia quæ vera vi ſeptica gaudent. Duplici ergo nociva fuiſsent titulo, & acidam medelam caſsam efficiendo & putredinem citando. Scopo demulcendi nihil præſtaſsent, ſolam enim demulcent acrimoniam acidam quam intendere conabamur. Nec quidem, tuta illa credunt Medici plures in omni acidi redundantia; quid ergo ubi defectus. Falſa præconcepta opinione acidæ bilis, quam quiſque nunc ridet, invaluerat terreorum uſus, quos verior pathologia detrudere debuit. Criſtallum montanam cæteris anteponere videtur *Stahl*, corpus ſi quod aliud omni bono in humana machina impar. Pulchram illorum in febribus putridis vituperationem jam habet *Baglivi* (*l*). Et *Hofmann* qui alienis tantum quondam ſapiens præceptis, ſectiſque nimis forſan deditus, illa in morbis bilioſis commendaverat, caſta deinceps educatus chemia & fideli morborum obſervatione, illorum uſum in ſolis morbis ex acido permittit, & ubi putredo ad-

H eſt

(*l*) *De fibr. moſtrice, libr. poſter. ſpecim.* Cap. XIII. *p.* 388.

eſt acidis unice fidit (*m*). Nec nitrum ſæpe adhibui; in primo ſtatu alia ſalia neutra præſtare videbantur; in ſecundo & tertio impar erat remedium quicquid non aceſcebat; & non ſemel obſervavi nitrum minime gaudere in morbis putridis ſedativa illa & refrigerante virtute qua in nonnullis aliis morbis pollet. Sanguini mixtus illius fluiditatem augetque puniceum, imo nigricantem colorem in roſeum mutat, & videtur vis illius eſſe diſsolvens viſcoſi phlogiſtici, inde in inflammatoriis morbis, modo nimia doſi non propinetur, egregie refrigerat; in morbo verum bilioſo ubi tenuior viget humorum diatheſis par non ſperandum erat auxilium. Baſim nitro præbent alcalinæ putridæ materiæ laxiter ſæpe debili acido nuptæ, ita ut ſi elementorum disjunctio in humano corpore ſuccedat, quod facile contingit, majus oritur ex alcalina baſi damnum quam ex acido bonum. Nec neſciunt Clinici obſervatores, nitrum magis prodeſſe initio morborum phlogiſticorum quam ſequentibus periodis cum jam adeſt putredo.

Sudorifera, diuretica.

Narravi ſuperius ſudores ſpontaneos noxios fuiſse, & morbos hac via tentatos, acerbe lethales evaſiſse. Quenam eſt enim actio ſudoriferorum? Materiæ morbidæ alvo evacuandæ excretionem hac via præpediunt, vim & acrimoniam intendunt, reſorptionem juvant, ſanguis citius inficitur, & ſic ex putreſcentia humorum generali malignitatis oriuntur ſimptomata; ſemper enim craſſiores remanent bilioſæ partes quam ut poſſint cutaneis vel renalibus poris eliminari. *Diaphoreticis materia bilio-*

(*m*) *Obſervat. Chimic.* Lib. II. Cap. XIX. *oper. t.* 4, *p.* 502.

bilioſa longe lateque in ſanguinem diffunditur, & licet tenuata ſit ſudori tamen non obedit (*o*). Res eſt ſane & veſana & periculoſa admodum, cacochiliam abdominis ad vaſa derivare ut colatoriis corporis minimis ſecernatur. Probavit ipſa obſervatio materiem illam ad cutem ſponte delatam ſolis alvum ducentibus evacuari. Notum eſt jamdudum ereſipelatum fomitem ſedem habere vulgo circa veſiculam fellis, nec melius exterminari quam emeticis aut catharticis (*p*). Tres obſervavi caſus in noſtra epidemia qui ſiſtema adſtruunt; neſcio enim qua proteiformitate materia bilioſa ad cutim delata vehementiſſimam induxit febrem & ſpeciem ereſipelatoſæ eruptionis, pectus, collum, brachia, femora cum ſummo pruritu, imo & fauces cum levi angina occupantis & demum exulcerantis; nihil profuit niſi alvi ductio repetita & acida medela (*q*). In epidemia Cremonenſi ſi raro obſervavit ſudores Cl. *VValcarenghi*, nocivos ſemper ante decimam quintam diem. Monuit Cl. *Huxam in febribus putridis ſudores præmaturos certiſſime fere ſupprimere urinam & alvum mox obrepente phrenitide* (*r*). *Non hæc eſt* enim *via qua ſimiles ſolvuntur febres* (*s*)

(*o*) *Juncker ubi ſupra* T. LXII. *num.* 8. *pag.* 514. Idem *conſpect. therap. general. Tab. IV. p.* 93.

(*p*) Cl. *D'Arluc* deſcriptionem huc conferentem tradidit ereſipelatis capitis cum ſæva febre epidemice graſſantis & emeſi ſanandi &c. *Recueil. periodique &c.* T. VII. *p.* 55.

(*q*) Congruit apprime *Hypocratis* aphoriſmus L. II. §. 15. in quo docet morbos eſſe cutis & faucium alios topicos, alios ex bile morbida effuſa. *Ubi fauces ægrotant, aut tubercula in corpore exoriuntur, excretiones inſpicere oportet. Si enim bilioſa fuerint, corpus una ægrotat &c.* & doctiſſimus interpres J. *Hollerius* optime monuit, tunc purgationem adhibendam eſse.

(*r*) *T. II. p.* 72.

(*s*). Nullus unquam tollitur icterus ſudore, *tanta eſt lentoris biliarii cum diaphoreſi ordinaria improportio* (*t*). Et egregie *Alberti*; *ſi præmatura præſcribuntur diaphoretica, tunc præſens febris longe acerbior & immoderatior redditur, materia bilioſa gravius intrinſecus commovetur; ---- excretio bilis neceſſaria impeditur, cardialgia augetur, ardor ſub ſcrobiculo cordis vehementior redditur, ſuperveniunt deliria, ſudores frigidi, lipothymiæ, æſtus aridus & anxius, magnæ inquietudines, colli tumores, inflammatoriæ affectiones imo convulſivæ commotiones* (*u*); ſudoribus non magis favet Præceptor *Stahl* qui ſcribit *nullo tolerabili aut utili modo diaphoretica aut diapnoica adhiberi poſſe* (*x*). Nullusne ergo diureſi aut ſudoribus locus; legem ſic ſtrictius poni nollem. In omni febre ut ut focum non habuerit intra vaſa, ſemper tamen alteratur maſſa ſanguinea tum abſorbtione partium morbidarum; tum retentione materiæ excretionum quæ febri ſemper turbantur, & partes excernendæ non excretæ in vaſis cacochimiam ſui generis inducunt; nec vigente febri tentanda depuratio tunc impoſſibilis. Sed jam ſanata aut propemodum ſuperata febre ſuis remediis, omnes ſecretiones ſollicitare licet ut aperta colatoria ſuos alteratos humores copioſe evacuent, & coctæ jam ſordes ſanguinis ejiciantur. Dixi urinas turbidas declinantem morbum comitari, & urinis crudis remanentibus ſucceſſiſse tumorem ereſipelatoſum cruris. Quidam morbi, omnino ſudoribus; inflammatorii non abcedentes urinis & ſudoribus; bilioſi, ereſipelatoſi, ſedibus terminantur: ſed in his ipſis ſemper aliquid adeſt urinis & ſudoribus abi-

(*s*) *Baglivi prax. medic. p.* 57.
(*t*) *Bianchi ubi ſupra p.* 303. utilia ibi reperiuntur.
(*u*) *Ubi ſupra* §. 22. *p.* 770.
(*x*) *De febre bilioſa* §. 49. *p.* 23.

abigendum. Lex eſt a qua non diſcedit Natura expellendo humores alienos, numquam laxiori ejicit colatorio quod ſtrictiori ejicere poteſt. Sic in morbis quibusdam malignis aut venenoſis in quibus humor morbidus magna donatur tenuitate, criſi ſufficiunt ſudores: ſufficiunt & in inflammatoriis ſi levior morbus *lyſi* ut dicunt ſeu reſolutione terminatur; ubi vero ſecundus gradus in ſupurationem degenerat, tunc pars purulenta cui impares pori cutanei, tubulis uriniferis evehitur. Si craſſior adhuc materia viſceribus abdominis impacta, ſola par eſt illius expulſioni evacuatio alvina. Magni eſt in Medico, ex nota cauſa morbi, prænoſcere viam qua ſubactus exibit fomes. In epidemia Lauſannenſi ſæpiſſime obſervavi profuſos oriri ſudores circa decimam quartam aut decimam ſeptimam diem, ſed imprimis copioſiſſimum lotium ultra menſem excerni vidi. Nonne euphoria quacum ſuccedunt evacuationes illæ, ſudorifera aut diuretica indicaret, juxta aphoriſmum, *quo vergit Natura eo ducendum*? Minime, jam enim Natura ſui potens, nec putrido oppreſſa fomite, ſibi ſufficit, & quod utile eſt parat ac conficit. Si calcar adderemus, illis ultra modum ſuſcitatis excretionibus, debilitas, obſtructiones & febris lenta facillime ingruerent. Aliquoties e contra, ſi diutius protractæ, vires abducunt vel ſola organorum debilitate foveri videntur, gratis acidis aromaticis tonicis illas moderari conducit; huc perplacet Elixirium vitrioli *Edimburgenſium*; tincturam martis cum levi kinæ decocto feliciter uſurpavi (*y*).

(*y*) Conſentientem habeo Ill. *Ludwig*, *Inſtit. Medicin.* §. 1446.

Cardiaca.

Quot ſunt cauſæ debilitatis, tot cardiacorum genera: non aliud enim datur cardiacum quam quod debilitatis cauſam tollit. In atonia vires erigunt acerba ſtimulantibus, vinoſis, ſpirituoſis mixta; in defectu bonorum ſuccorum nutrientia; utraque augebant debilitatem quę initio morbi ægros noſtros opprimebat: *Vires enim dejectæ videbantur, ſed id fiebat ob morſum bilis & purgatione reſtaurabantur* (z). Et re patuit emeſin aut alvi ductionem cardiacorum effectus præſtitiſſe; ſapienter itaque docuit *Alberti; lipothymiis quæ nonnumquam in hac febre occurrunt analeptica & nervina remedia non conducere, quamdiu adhuc materia peccans bilioſa continetur, quare & hiſce animi deliquiis non melior medicina parari poteſt, niſi quæ bilioſæ materiæ congruam evacuationem facilitat* (a). Calida verum, ſpirituoſa, imo vinoſa omnia exacerbabant, ſtimulum & calorem augendo, evacuationes præpediendo, & materiam morbidam more ſudoriferorum impingendo: quod intelligere nequit *profanum vulgus*; ſed confeſtim, ſimul ac labuntur vires ad ſtimulantia & juſcula ſucculenta & aromatica, haud ſatis damnanda praxi confugit. Fide tamen aſſevero, nihil plus damni ęgris affert, pluresque nefandus mos tradidit letho qui fauſte evaſiſsent ſi perſuaſum eſſet plebeianis mentibus & quot ſunt plebeianæ mentes; 1. diu vivere poſse hominem ex aqua pura fontana aut tenui ptiſana, nec quemquam in acutis morbis ex alimentorum defectu mori. 2. ſpirituoſa & nutrientia initio febrium ſemper, alias ſæpe, vires peſſundare, febrim augere, medicamentorum

(z) *Ballonius Epidemicor. L. I. op. T. I. p. 6.*
(a) *Ubi ſupra p. 769.*

rum vires infringere; 3. nulla ut jam dixi eſſe cardiaca niſi quæ morbi cauſam deſtruunt; 4. ſelectum inde medicamentorum rem eſſe vel peritioribus ſæpe difficilem, & longe extra mulierculæ provinciam poſitam; 5. errorem hic peſſimum eſſe, ſiquidem *quod uni cardiacum eſt, idem alteri ſit venenum* (*b*). Monuit *Boerhaavius rariſſimum eſſe cardiacorum in acutis intellectum*: & Diſcipulus, *nullum remedium quantumvis etiam decantatum fuerit, in febribus acutis abſolute & ſimpliciter cardiacum dici poſſe, cum ejus uſus vel abuſus a varia debilitatis cauſa pendeat omnino* (*c*). Numquam ergo cardiacum ullum, e cardiacis vulgo dictis, ante evacuationes præſcripſi. Aliquoties poſt illas ſi debilior videretur ęger, non metu mortis, ſed ſcopo ſecretiones juvandi incitatus leniſſima præſcripſi, & præ aliis omnibus jam ſæpius laudatum vinum, aut liquorem anodinum mineralem *Hofmanni*, *acidum*, *oleoſum*, *blandum remedium*, *quod efficaciſſime omni putredini reſiſtit*, *grata fragrantia languentem ventriculum mire reficit* (*d*), & quod potui ægri inſtillabam ita ut ſingulo hauſtu minimam ſorberet quantitatem; pulchriorem ſic obtinui effectum, quam raro grandiores propinando doſes, quæ paulo vividius ſtimulando, febrim pro brevi ſaltem tempore augent & tranſennale leveque delirium inebriantium more ſuſcitant. De cardiacis convaleſcentium fuſius antea dixi.

Narcotica.

Simptomatum Medici ſummam agitationem, cephalalgiam & pertinaces vigilias obſervantes, larga manu narcotica propinaſſent, quo-

(*b*) *VValcarenghi medic. ration. p.* 219.
(*c*) *Aphor.* 672. *Comment. ibid. T. II. p.* 285.
(*d*) *Van Swieten* §. 644. *T. II. p.* 224.

rum uſum rationali Medico prorſus diſsuadebant tum ratio, tum authoritas, quibus robur addebat experientia. *Quamquam communis illa methodus ſit in hac febre ſimptomata per anodina mitigare, tamen juxta vulgarem uſum perniccioſa ſunt, & illa tum ad vigilias acerbiores, tum ad capitis dolores valde diſsuadeo*. (*e*). Et monuit *Junkerus opiatorum uſum intempeſtivum proteiformia ſequi pericula & ſchemata* (*f*). Nec felicius inter noſtros quam apud *Hallenſes* ſuccedebant; nam cum plebeii vigiliis vexati confugiebant ad diacodium, cujus vires illos docuit funeſtus pro puerulis uſus, non magis dormiebant, ſed debilitas, cruditas & ſimptomata increſcebant. Viſitavi puellam viginti natam annos quæ cum pluribus aliis ſimptomatibus, tam effera tuſſi laborabat (quod rariſſimum) ut vix deglutire poſset & omnia deglutita protinus evomeret: inutilibus enematibus & epithematibus, de nullo alio remedio cogitandum fuit quam de narcotico quod conſenſum tuſſis cauſam compeſceret (*g*). Prima doſi diacodii mox ejecta, ſecundam propinavi quæ pacavit quidem tuſſim; ſed tanta absque ſomno debilitas remanebat ut deliquia deliquiis continuo ſuccederent; vinoſa panna abdomini impoſita, limonatum vinoſum & liquor anodinus mineralis vires revocabant & mitigata tuſſi eme-

(*e*) *Alberti p.* 769. 770.

(*f*) *Ubi ſupra p.* 517.

(*g*) Tuſſim illam conſenſui ortum debuiſſe nemo in dubium revocabit qui leges cauſas & effectus conſenſus novit; duplex autem inter pectus & ventriculum eſt conſenſus, continuitate nimirum membranarum & communione nervorum. Cur fortior fuerit in hac puella quam in omnibus aliis explicat tum idioſincraſia membranarum, tum acrimonia, tum ſitus materiæ morbidæ quæ mox hunc mox illum vellicare poteſt plexum.

emeſim propinare potui, quæ illam omnino exterminavit. Virum nobilem curavi cui ſub finem morbi vel potius ſuperato morbo, conceſſi obſequio quinque guttas laudani *Sidenham* in potione ſtomachica; vehementem inde expertus eſt colicam, morbum illi prorſus ignotum. Altera vice tentato experimento, idem infelix eventus probavit laudanum doloris cauſam fuiſſe, pluries enim eamdem potionem ſine laudano utiliter ſorbuerat & ne ungue quidem in diæta a vero tramite diceſſerat. In homine illo quem poſt venæ ſectionem gravis corripuerat tuſſis, felicius non ſucceſſerunt narcotica. Illa in genere prorſus omiſi, nec plus quam quinquies adhibuiſſe memini, ſemper minima doſi. Mox capit quiſque cur in morbo putrido adeo noxium fiat remedium, cæteroquin ſi quod aliud heroicum: laxitatem enim & flatulentiam ex laxitate, atque putredinem auget (*h*); & evacuationes inteſtinales impedit, niſi ex rigiditate aut ſpaſmo ſupprimantur. Quanta inde mala ſatis jam patet; & novum hæc obſervatio teſtimonium præbet effati *Boerhaaviani*. *Nihil dari quod ubique bonum, contra vero, id quod hac rerum facie ſalutare fuerat, mutata conditione pernicioſum ſæpe deprehendi.*

Præ-

(*h*) Pluribus modis in febre noſtra putredinem intendebat opium, 1. laxitatem fibris inducendo, 2. evacuationem materiæ putridæ cohibendo. 3. actionem nervorum impediendo: experimentis enim probavit Illuſtriſſ. *Hallerus*, ex actione nervorum impedita cito tum in ventriculo tum alibi generari putredinem. *Second memoire ſur l' irritabilitè exp.* 182. 183. 185. Sed nulla vi ſeptica proprie dicta fœdatur opium teſte Clar. *Pringle*. *Traitè ſur les ſubſtances ſeptiques & antiſ. exp.* 10. qua evincitur quoque vis illius emolliens.

Præſervatio.

Non ſatis colitur prohilactica medicina; bene multi ſunt morbi quos attente conſideranti prævidere liceret pluribus diebus ante primum impetum, & perſuaſum habeo, morbum præviſum vel omnino præſcindi poſſe vel ſaltem mitiorem reddi; adoleſcentem curavi qui febre biliosa corripiebatur dum remediis debellare conabar bilioſam ſaburram qua laborabat & cujus rixas metueram; gravis fuit morbus vixque credam evaſiſſe ægrum ſi non mitigatus & minutus fuiſſet fomes; alia nonnulla exempla & cautelas hic congerere extraneum foret. De præſervatione morbi noſtri, ſi quis ſiſcitetur non meliora reſpondenda habeo quam *Borelli* verba, *ut me ſervem amicis meis, præter conſuetum vivendi modum utor hauſtibus aquæ ſingulo mane jejuno ventriculo, & circa veſperam miſceo eidem aquæ aliquid ſpiritus ſulphuris vel aliud acidum, in reliquis hilaris vivo, & audenter totus ſum in philoſophando: Tribus elapſis diebus maxima in ore amaritudo accidit mihi, cui ſuccurrere ſtudui, ſumens caſſiæ uncias duas, quibus lubricitatem corpori conciliavi, quod videtur mihi optime egiſſe* (*i*). Quatuor hic occurrunt indicationes 1. ut paulo minor ſolito doſis alimentorum quotidie ingeratur; nihil enim magis conducit ut ſenſim reſerantur & evacuentur infarcta viſcera. 2. Ut cibi ſint e genere morbo minus faventi; tales capitulo de diæta recenſentur: potus ex aqua pura fontana aut vino mixta vel grate acidulata. 3. Aer calidior vitetur, moveatur corpus & laxa ſervetur alvus, cui ſcopo præter prædictam diætam egregie inſervire poteſt cremor tartari mane jejuno ventriculo cum aquæ ciatho ad dragmam unam hau-

(*i*) *Malpighi oper. poſthum. p.* 28. 29.

hauſtus. 4. Et præſertim obſequendum eſt monito Itali Philoſophi hilariſque vivere: noxas triſtitiæ narravi, & obſervavi illos omnes qui poſt animi pathema triſte decumbebant, fere ſemper occubuiſſe, licetſi morbus primo intuitu gravior non videretur; ſive ob generatam cacochimiam, ſive ob deperditionem virium quas proſternit anxietas, & quibus deficientibus nulla ſanatur ægritudo.

Canones Practici.

Hæc eſt Idea febris putridæ; omnis humor putridus eſt acris, ſic partes ſenſibiles & irritabiles ſtimulantur, duplex inde cauſa motuum depravatorum inter quos reperitur febris. Putriditas & febris ſolida laxant, inde nova morborum cauſa. Putridus humor nutritioni eſt ineptus, tertius ergo damnorum fons.

Mors generatur in morbis illis; ſi ad eum devenerit terminum febris quocum conſiſtere vita nequit; ſi putredo adeo maſſam ſanguineam infecit ut nulla nutritio ſuccedere poſſit dum continuum fit detrimentum; ſi functio aliqua vitalis omnino præpediatur; Si gangræna partes internas obſideat, ex gangræna enim ſumma debilitas, mors.

Morbi putridi ſunt vel univerſales, ſi putredo æquabiliter propemodum omnes infecerit humores, maligni vulgo dicuntur; vel gaſtrici, ſi fomes morbidus jacet præſertim in abdomine. Plures ſunt in abdomine humores qui putreſcere poſſunt; nec omnium pariter damnabilis corruptio, inde non pariter ſævæ omnes febres putridæ gaſtricæ: nulla pejor corruptio quam bilioſa, & febres quas generat, omnium peſſimæ.

Idem medelæ genus omnibus, & ſic qui bilioſam curare novit omnes alias optime ſanabit;

bit; primus noſter ſtatus vix ut jam dixi inter bilioſos accenſeri poteſt & ſpeciem variationum medelæ præbet.

Gaſtrici ſunt aut ſimpliciter putridi aut ſimul phlogiſtici. In ſecunda ſpecie venæ ſectio aliquoties adhibenda eſt & procraſtinandæ evacuationes donec phlogoſis evanuerit.

In putridis non phlogiſticis tum generalibus tum gaſtricis nocet venæ ſectio, nocent omnia pinguia imo & emulſa, omnia relaxantia, ſeptica, acria, narcotica, nutrientia, ſucculenta. Nocent in putridis gaſtricis diuretica & ſudorifica. Febrem enim augent; evacuationes alvinas impediunt; delirium, putredinem generalem, malignitatem, petechias, mortem denique arceſſunt.

Diæta plus minuſve tenuis eſſe debet pro vi morbi; ſemper ex aceſcentibus vegetabilibus, farinoſis, oleribus aut fructibus. Butirum abſit. Juſculum præbere poſſunt pulli gallinacei aut juniores gallinæ.

Prima medela ſit emeto catharſis; curam abſolvant potus antiſeptici & evacuationes alvinæ vel ſubinde repetitæ, vel quotidie ſed leniter ſollicitatæ ope purgantium aceſcentium vel tartari emetici largo vehiculo aquoſo diluti. Subinde, ſed paulo fortius purgare expedit, ſi ſimptomata doceant tenaciores humores difficulter coqui; ubi vero majori donantur mobilitate, quotidianæ ſed mites purgationes præſtant, ne mora, pejor evadat materia vel & reſorbeatur.

Non tanti hic uſus enemata quam in morbis inflammatoriis in quibus quo ſæpius eo melius; in bilioſis verum, emollientia reiterata nocuiſſent & numquam fere adhibui niſi purgantia, præſertim ex catholico. Initio ſæpe parum proderant; ſub finem belle ſuccedebant, copioſas educendo ſedes.

Qui

Qui ſimptomatibus alia quam generali medela mederi vellet omnia peſſundaret.

Quas ſecum trahit generata debilitas infirmitates, ſanant ſelectus & ordo medicamentorum, exercitium & aer campeſtre; raro requiruntur medicamenta, quorum patet genus.

Relictæ viſcerum imprimis hepatis obſtructiones ſanantur ſaponibus vegetabilibus; qualia ſunt chicoracea, graminacea, mel, ſera lactis. Ingraveſcunt ſi citius confugitur ad remedia aperitiva, acria, ſtimulantia; putridam inducunt cacochiliam ſapones alcalini inepte adhibiti: aliquoties tamen feliciter uſurpavi aquas minerales alcaleſcentes parva doſi per quatuor aut quinque dies. Superatis obſtructionibus, tonicorum uſu recidiva præpeditur.

Nihil mutant regiones quicquid clamitent ignari. Ex regionum varietate alii morbi in hac, alii in illa frequentiores ſunt: Ubi vero idem morbus occurrit, ubique gentium eadem adhibenda eſt medela; qua methodo biliosa ſanabat *Hypocrates*, eadem illas ſanant *Angli*, eadem *Germani*, eadem *Vvalcarenghi* apud *Cremonenſes*, *Mercatus*, *Heredia*, *Zacutus* apud *Hiſpanos* & *Luſitanos*; eadem uſus, fauſte mihi ſucceſſit, & ſemper, omni ævo, omni cælo ſuccedet.

FINIS.

TENTAMEN
DE MORBIS
EX
MANUSTUPRATIONE.

Propriis exſtinctum vivere criminibus. C. *Gallus*.

PROEMIUM.

Paucis te volo, benevole Lector, obſervatio quam ſub nomine D*** *enarratam mox leges, primam ſcribendi ideam fecerat: de tempore verum ne quidem ſomniaveram, ſed cum nuperrimi caſus periculum eſſe in mora monerent, & prioris diſſertationis volumen locum faceret cui commode nonnullæ inderentur plagulæ, manum operæ admovi, & opuſculum qualecumque, curſim nimis dum praxi diſtrahebar intra pauciſſimas dies exaravi, quod dictum velim, ut condoneris vitiis quæ vetuit vitare feſtinatio. Nec ſpe tamen, ſi Deo placet, excidam; ſolam enim intendi utilitatem, & fiducia eſt non deeſſe ſcitu neceſſaria. Authoritates plures congerere, ut non ſivit tempus, forſan non profuiſſet; unicum deſideravi opuſculum de* Tabe dorſali, *quod laudari & Cl.* Levvis *tribui video. Aliud eſt ſæpe excitatum,* Onania (*), *de quo breviter: librum vix diceres, incomptam potius farraginem: vel armamentarium utiliſſimarum obſervationum. Vir probus, Apollineæ alienus arti, a Medico doctus remedia nonnulla, quæ damna manuſtupratione inducta reſarcirent, illaque tanquam arcanum venditans, & libellum ſimul promulgans de fœdo illo uſu ethice & medice conſiderato, innumeras accepit epiſtolas, quibus juvenes utriuſque ſexus,* Rei fatentes *& morbos fide enarrantes auxilia anxie ſollicitabant. Magna pars illarum epiſtolarum cum opuſculo recuſa*

(*) „ Onania: or, the heinous ſin of *ſelf-pollution* „ and all its frightful conſequences in both ſexes conſidered: Vvith ſpiritual and phyſical advice &c. *the ſeventeenth edition, London* 1752.

cuſa pulcherrimas exhibet obſervationes ; omnes accurate legi & in tabellam ſimptomata præcipua conjeci ; fida inde morbi hiſtoria , cui enim ſigillum appoſuerunt omnes Onaniæ *ægri ; & remotum tædium quod ſequitur lectionem longæ collectionis , in qua eadem frequenter , & ſæpe inconcinne reperiuntur .*

Multus eſt author in enormitatem ſceleris theologice demonſtrandam ; breviſſimus ego : ſacra enim profana manu tangere nolui ; ſuum Sacerdotibus relinquo , par pari utinam referrent : mens fuit præterea ſcribere de morbis ex manuſtupratione , non de manuſtuprationis crimine : metui aemum ne hic forſan valerent verba viri quo apud remotiſſimos poſteros noſtra gloriabitur ætas (†) . *Mens paſſionibus occupata longe magis afficitur præſenti periculo , quam metu iræ Entis quod ſub ſenſus non cadit . Vale , & tu utere imprimis juventus , cujus illibata ſanitas , laboris mihi pretium erit .*

TEN-

(†) „ On nous fait entreprendre de prouver l' utilitè de la priere à un homme qui ne croit pas en „ Dieu ; la neceſſitè du Jeune à un autre qui a niè „ toute ſa vie l' immortalitè de l' ame : l'entrepriſe eſt „ laborieuſe , & les rieurs ne ſont pas pour nous „ *Lettr. Perſan.* XLIX.

TENTAMEN DE MORBIS

EX

MANUSTUPRATIONE.

QUod non nutritur Animal, incidit in morbos ex debilitate: plures ſunt cauſæ quæ nutritionem impediant, omnes recenſere longius foret; frequentior non datur quam nimiæ evacuationes.

Hæc eſt enim corporis fabrica, ut ſi deficiant humores *agentes*, non aſſimilentur humores *paſſivi*, crudi remanent, reparatio nulla fit amiſſorum, ſuccedit debilitas, omnes alterantur functiones, & eo citius, quo nobilior humor evacuatus. Lac diu & copioſe, in vegeta fœmina emulgeri poteſt abſque ſenſibili detrimento; ſed nullum eſt humanum fluidum minus elaboratum quam lac Sanguinis rubri evacuatio longe magis debilitat; & nutricem ſæpe necares, ſi intra diem demeres ſanguinis quantitatem, quam lactis, eodem tem-

pore ſugit puerulus. Liquidum eſt, *Seminale* dicunt, e ſanguine, magno apparatu qui ſemper magnum pretium indicat, ſecretum; cujus hæc eſt dignitas, ut, monente jam *Galeno*, ſemi uncia amiſſa majorem viribus inferat labem, quam quadraginta unciarum ſanguinis detractio. Sponte patet, talem liquorem ſi ultra modum profunditur, plures relinquere morbos. Voluit conditor, ut evacuaretur coitu cum femina, addere cuique liceat venereis inſomniis de quibus infra. Infamis mos invaluit *manuſtupratio-nem* vocant, quem jam Patriarcharum tempore, terram maculaſſe, teſtantur *Sacri Codices* dum *Onaniæ* pœnam referunt (*a*): & apud gentiles, illum in uſum duxiſſe *Diogenem* teſtis eſt *Galenus* (*b*). Morbida eſt quarta evacuatio, ſi abſque erectione & voluptate, continuo effluat ſperma; *gonorhea* dicitur ſimplex. Ratione defectus, ſi par evacuata quantitas, quæcumque fuerit evacuationis methodus, eadem eſſet labes: ſed præter defectum, aliæ ſunt cauſæ quæ damna augent; peſſima, præ ceteris, inducit manuſtupratio; quam expanderem quid me moverit in proemio narravi. Cum vero inſtitui nequeat illud examen, quin ſimul diſquiratur in morbos ex nimia venere in genere, hic erit operis ordo. Simptomata morbi qualia aliis medicis & mihi obſervata candide narrabo: cauſas deinceps exponam, addetur demum medela.

Sim-

(*a*) *Geneſis* C. XXXVIII. v. 9. & 10.
(*b*) *De locis affectis* Lib. VI. C. V. oper. omn. T. IV. p. 153.

Simptomata.

Obſervatorum prior & accuratior *Hypocrates*, jam delineavit morbos qui nimium ſequuntur coitum; & cum ſummam macilentiam, dorſique dolores obſervaſſet, morbum, ducto nomine ex ſimptomatibus, *tabem dorſalem* dixit. *Tabes dorſalis ex ſpinali medulla oritur, præcipue vero recentes ſponſos & libidinoſos corripit. Febris ſunt expertes, bene comedunt & colliquantur. Quod ſi ita affectum perconteris, aſſeret ſibi videri ex ſuperioribus partibus a capite velut formicas in ſpinam demitti, cumque urinam aut ſtercus reddit, ſemen genitale copioſum & liquidum ei prodit, neque generatio fit, & inter dormiendum, cum uxore dormiat, necne, veneris ludibria patitur. Cumque alias tum præcipue per locum arduum iter fecerit aut cucurrerit, anheloſus & imbecillus evadit, caput gravatur & aures ſonant. Hic temporis progreſſu vehementibus febribus correptus perit ex lipiria febre* (*c*). Alio loco, aliam pinxit tabem, quam, ex venere pariter ortam contendentes nonnulli authores, *tabem dorſalem ſecundam Hypocratis* dixerunt. *Alius morbus ex defluxione capitis per venas in ſpinalem medullam, cum inde ad os ſacrum impetu fertur, ſpinali medulla eo fluxionem deducente, & in coxendicum acetabula deponente. Quod ſi tamen fecerit, & utroque modo homo contabeſcit, neque vivere expetit. Confeſtim enim ſcapulæ dolent, ſimulque ambo pedes & crura conſequuntur, tandemque pereunt longo tempore curationem trahentes, neque viribus homo deficit & moritur* (*d*). Quæ ultima verba me dubium relinquunt num hic deſcribatur morbus ex nimia venere, quam

(*l*) *De morbis* Lib. II. Cap. XLIX. Foeſ. 479.
(*d*) *De glandulis*, Foeſ. p. 263.

quam ſemper ſequitur debilitas. Dum de diæta pulchre diſſerit *Celſus*, monet *coitum ſemper inimicum eſſe debilibus* (*e*), *& frequentem ſanos ſolvere* (*f*). *Galenus*, in commentariis ad hiſtoriam adoleſcentis mœlibeæ, qui poſt nimiam venerem morbo correptus obiit, animadvertit quod *venus nervos lædat, & eorum originem cerebrum, tum* inquit *vires elidit & debilitat* (*g*). Utriſque aſſentit *Aetius*, *peſſimus corporis habitus hic eſt, quum ſemen multum & calidum aliqui generant, quod eos ad excretionem urget, atque poſtquam per coitum ejecerint, exolutionem oris ventris patiuntur, & toto corpore exolvuntur, debileſque fiunt, & ſicci & tenues, & pallidi; oculos etiam cavos habent hoc modo affecti* (*h*). Nec iſtos morbos ſilentio præterierunt neoterici. Qui bene primum *Celſi* librum expoſuit *J. Lommius*, authoris ſententiam proprio firmavit teſtimonio; *corpus effœminat, laxum id, enerve, frigidum, ſiccum, imbecilleque efficiens, ut non quod magnopere quis miretur ex hoc fonte tot tantaque mala ſcaturire, apoplexias, lethargos, epilepſias, altos ſopores, cæcitates, tremores, paralyſes, ſpaſmos, hiſque omnibus tædioſiores podagras, chiragras, coxendices, quæque his paria ſunt arthritidis tormenta* (*i*). *Sanctorius*, qui magna acribeia inquiſivit in omnes cauſas quæ corpus mutare poſſunt, obſervatione doctus eſt, coitum lædere ventriculum & primam coctionem, tum oculos *quia ab illis ſubducit maximam ſpirituum copiam*; diminuere calorem naturalem indeque perſpirationem; calefacere jecur

(*e*) *De re medica* Lib. I. Cap. IX. p. m. 39.
(*f*) *Ibid.* Cap. I. p. 21.
(*g*) Comment. tert. in Lib. III. *Hyp.* de morb. vulgar. oper. omn. t. 3. p. 583.
(*h*) Tetrab. III. Serm. III. Cap. XXXIV.
(*i*) *Comment. de ſanitate tuenda* p. m. 37.

jecur & renes, refrigerare vero ſtomachum, cerebrum, & cor: hinc coitus immoderatus in hepate bilem, in renibus nephreticum affectum, in ſtomacho crudum ſuccum, in cerebro catharrum, & in corde palpitationem & ſyncopen generare (*k*). Horror invadit legendo quæ narrat *Tulpius*. *Non marceſcit ſolum* (*inquit*) *ipſa ſpinalis medulla, quæ obſtruitur: ſed contabeſcit utique cum illa corpus univerſum. Communicato paulatim malo, hinc per nervos cerebro; illinc per arterias cordi; uti per venas jecinori. Quorum nobiliſſimorum viſcerum functione, evidenter læſa, torpet neceſſario corpus; marceſcit animus; & conſumitur miſerabiliter homo. --- Samueli Verſpretio elevabat impurus lien tot vapores verſus cerebrum: ut inde deſtillaverit iterum plurimum acrioris pituitæ, primum quidem in occipitium, ac cervicem: Sed mox inde in ſpinæ medullam, & potiſſimum in lumbos, ilia, ac coxæ articulum. Quarum partium immanis dolor excruciavit ipſum tormento tam indefatigabili: ut amiſſo omni colore, ac decore, inciderit in lentam febriculam: conſumentem ipſum, morte adeo tarda, ac miſera, ut ante ejus acceſſum, non ſemel exoptaverit, languentem emittere animam, & reluctantem expuere ſpiritum* (*l*). *Immoderata Venus, nervos, caput & totum corpus emaciat & debilitat, ſpiritus diſſipat, & vitam mirabiliter abbreviat* (*m*). *Novit Blancardus qui ob coitus exceſſum tabidi & hydropici ſunt facti, cum gonorhea continua ſimplici* (*n*). *Muys*, *gangrænam ſpontaneam pedis in homine ſeneſcente nondum*

(*k*) *Medicina ſtatica ſect.* 6. *aph.* 15. 19. 21. 23. 24.

(*l*) *Obſervat. medic.* Lib. III. Cap. XXIV.

(*m*) *Zypæus fundament. medic.* Part. II. art. 6. §. 6.

(*n*) *Inſtit. medicin.* Part. II. Cap. XXVIII.

ſene , tribuit nimiæ veneri (*o*). Cœcitatem ex eadem cauſa memorant acta academiæ C. N. Digna quæ referatur obſervatio. *Quantus teſtium conſenſus cum toto, in ſpecie oculis, ſit, neſciunt omnes artis venuſti filii. Amentiam ab exceſſu veneris, in erudito quodam hypocondriaco: in alio, cerebrum adeo exſiccatum notavit Salmuth* (*p*), *ut etiam intra cranium hinc inde ferri audiret. Virum novi eximie doctum, at tenuioris texturæ & valde phlegmaticum, qui anno ætatis 59., juvenculam & ſumme laſcivam feminam ducens, tertia a nuptiis ſeptimana, ab immoderato coitu, in repentinam & omnimodam incidit cæcitatem; quarto demum menſe calcabat viam univerſæ carnis* (*q*). Ex diſſipatione ſpirituum ſequentes morbos oriri vidit *Schelamerus, ventriculi robur diſſolvi incipit, appetitus penitus proſternitur, & ſic cibo ſubtracto, languent membra, cor debilius movetur, pulſus minuitur & labitur ſenſim. Etiam ex nimia ſpirituum deperditione, epilepſia oriri poteſt* (*r*). Non novimus, ſi ſpirituum & ſpermatis eadem ſit natura; monſtravit vero obſervatio ut infra narrabitur, egregiam eſſe affinitatem, & utriuſque liquidi deperditionem eoſdem inducere morbos; huc ergo verba *Schelameri*. Plura damna eadem illata cauſa graphice deſcripta legimus in operibus Ill. *Hofmann. Poſt longas pollutiones nocturnas, non modo vires labaſcunt, corpus emacreſcit, facieſque expalleſcit; verum etiam memoria labeſit. Artus externi porro facile refrigeſcunt; oculorum caligo invaleſcit; & vox redditur rauca* (*s*). *Senſim vires, totumque corpus de-*

ſtrui

(*o*) *Praxis chirurgica* Decur. I. obſ. 4.
(*p*) *Cent.* 1. *obſ.* 61. quod jam vidit *Galenus*.
(*q*) *Decur.* 2. *ann.* 5. *Apend. obſ.* 88. *p.* 56.
(*r*) *Ars medendi univerſa* Lib.II.Sect.II.Cap IV.§.25.
(*s*) *Conſultat. Cent.* 2. & 3. *Caſ.* 102. *oper. T. III. p.* 293.

ſtrui ac labefactari cœperunt. Somnus enim gravibus inſomniis turbatur, nec reficit; & toti corpori inhæreſcunt dolores gravativi, ac ſi fuſtibus percuſſum fuiſſet (*t*). In ſubſequenti caſu, reſcribendo pro Juvene qui inter alias infirmitates, omnimodam oculorum debilitatem manuſtupratione ſibi conciliaverat, ſic monet: *non paucos mihi adnotare licuit caſus, ubi etiam ætate provectiores, ex veneris immoderato exercitio, nonmodo ruborem, dolores tenſivos, lancinatorios, ac preſſorios oculorum, veluti pondus ipſis incumberet, lacrymarum crebram profuſionem; verum etiam tantam viſionis hebetudinem ſibi contraxerunt, ut nec ſcribere, nec legere quid potuerint: imo binæ mihi ſuccurrunt obſervationes, de ipſa gutta ſerena, a nimio veneris uſu, accedente diuturno mœrore inducta* (*u*). Ea vi & brevitate qua ubique uſus eſt, damna nimiæ veneris, pinxit *Boerhaavius*, *Seminis excretio nimia facit laſſitudinem; debilitatem; immobilitatem; convulſionem; maciem; ſiccitatem; membranarum cerebri dolores, calores; ſenſuum, maxime viſus hebetudinem; tabem dorſalem; fatuitatem; varios his affines morbos* (*x*). Et in hunc aphoriſmum diſcipulis ſequentem narrabat obſervationem; *tabem dorſalem in formoſiſſimo juvene vidi, qui ſæpe monitus, in caſtris tamen veneris non deſiit militare, & ante mortem ita deformatus eſt, ut ea toroſitas quæ ad lumbos eminet ſupra vertebrarum ſpinas, tabulæ planæ ſimilis eſſet. Ipſum cerebrum videtur conſumi, fatui enim fiunt. Deinde obrigeſcunt toti, qualem non ex alia cauſa ita obſtipam corporis immobilitatem vidi: oculi ipſi qui in amore ſcintillant, atrophia nervi ſui affecti hebeſcunt, ut facultatem videndi amittant* (*y*).

Da-

(*t*) *Ibid. Caſ.* 103.
(*u*) *Ibid. Caſ.* 104.
(*x*) *Inſtitutiones medicæ.* §. 776.
(*y*) *Prælectiones in proprias inſtit. ibid.*

Damna nimiarum evacuationum recenſendo, ſpermaticam ſic notat Ill. *Ludwig*. *Venus præmatura & libidinoſa utrique ſexui ex eo nocet, quod illæ inde perdantur vires, quæ ad obfirmandum corporis robur requirebantur. Nimia laſcivia & repetiti coitus, inſigniter enervant & tabidum corpus reddunt* (z). Mitiora non promittit Illuſt. *Gorterus*; ſed longiora verba quæ hic tranſcribam, cum cuique ſuaſor ſim preterea, ut egregium *de coitu* capitulum in libro de *inſenſibili perſpiratione* attente legat. Triſtem memorat caſum Ill. *Van Svvieten*, quem ſic deſcriptioni *tabis dorſalis* ex *Hypocrate* ſubjungit: *Omnia hæc mala vidi, & plura adhuc, in miſeris illis, qui fœdis pollutionibus indulſerant. Per integrum triennium, incaſſum adhibita omni medela, in Juveno ab hac cauſæ dolores miros per totum corpus vagos obſervavi, nunc cum caloris nunc vero cum frigoris moleſtiſſimi ſenſu, ſed imprimis in lumbis. Poſtea his doloribus parum imminutis, tantum frigus ſentiebat in femoribus & cruribus, licet ad tactum naturalem corporis ſani calorem haberent, ut fervidiſſimis etiam æſtatis caloribus foco aſſideret continuo. Maxime mirabar toto hoc tempore teſticulos in ſcroto ſemper rotari & circum volvi, atque eundem motum, una cum ſummæ ægritudinis ſenſu, in lumbis æger percipiebat* (*a*). Silet Ill. Author de exitu; nec tertius præter mortem, aut longas infirmitates morte ſæviores. Quem lubenter ſemper excito, Ill. *Kloekhof*, ſimilia obſervavit; *ſeminis prodiga ejectio partium omnium ſolidarum tenorem infirmat. Ab ea debilitas, inertia, macies, tabes pulmonum vitio, & alia ſingularis quæ a dorſo nomen habet. Indidem ſenſuum hebetudo, languor, fatuitas, animi deliquium, convulſio* (*b*).

(z) *Inſtitutiones Phyſiolog.* §. 870. 872.
(*a*) *Aph.* 586. T. 2. *p.* 46.

(*b*). Quid prodeſſet plures abducere? Teſtantur omnes eamdem morborum congeriem; ventriculi debilitatem, coctionum depravationem, cruditatum congeſtionem, nutritionis defectum, dolores hyſtericos, rheumaticos, arthriticos; perit robur, deletur juventutis imago; facies inducitur & debilitas ſenilis.

Me vero, heu, tantis defunctum partibus olim,
Tartareas vivum conſtat inire vias.
Jam minor auditus, guſtus minor, ipſa minora
Lumina, vix tactu noſcere certa queo.
Nullus dulcis odor, nulla eſt jam grata voluptas.
Senſibus expertem quis ſupereſſe putet?
En lethea meam ſubeunt oblivia mentem,
Nec confuſa ſui jam meminiſſe poteſt.
Ad nullum conſurgit opus, cum corpore languet:
Atque intenta ſuis obſtupet ipſa malis.

Ipſaque me ſpecies quondam dilecta reliquit:
Et videor formæ mortuus eſſe meæ.
Pro niveo, rutiloque prius, nunc inficit ora
Pallor, & exſanguis, funereusque color.
Aret ſicca cutis, rigidi ſtant undique nervi,
Et lacerant uncæ tabida membra manus.
Quondam ridentes oculi: nunc fonte perenni
Deplangunt pœnas nocte, dieque ſuas (*c*).

Hæc omnia, ſævioraque obſervare contigit; de meis vero nondum. Sed ſi ipſorum ægrorum confeſſiones ab *Onania* collectas adeamus, lætiora non inveniemus. Plerique cum gemitu & contriſtatione queruntur 1. de diminutione facultatum intellectualium; idearum obſcuritate; memoriæ vacillatione; moleſtis inſomniis; ſen-

(*b*) *De morbis animi ab infirmato tenore medullæ cerebri p.* 37.
(*c*) C. *Galli*, vel ſi aliis fides *Maximiani Eleg.* 1.

ſenſuum, oculorum præſertim & aurium hebetudine; levi amentia; vertigine; interna moleſtia; anxietate; nonnulli de tali conſcientiæ angore ut lacrymas moveant.

2. De lapſu, imo & totali corporearum virium defectu; incremento corporis coercito; agripnia continua alii, alii tali ſopore ut & ſtantes obdormiſcerent; hyſtericis & hypocondriacis inſultibus, tremoribus, lypothimiis ſuſpiriis, palpitationibus, brevi reſpiratione, calcario ſputo (*d*), tuſſi, hectico calore, febricula, tabe.

3. De ſævis doloribus, capitis, pectoris, ventriculi, inteſtinorum, artuum omnium; torpore doloroſo in omni parte vel leviſſime compreſſa.

4. De excreſcentiis carnoſis in fronte (*e*); rubris vel ſuppurantibus puſtulis narium, faciei, pectoris, genitalium, femorum; pruritu earumdem partium acerbo.

5. Generationis organa ſuis plectebantur morbis ægri plures nec amplius erigebant; alii ex leviori titillatione & minima erectione ſemen protinus profundebant; multi gonorheam habitualem vires omnino proſternentem dolebant, & ſpermaticę materiæ loco fluebat ſæpe limoſa, ſordida, olida, colluvies; ſperma educebant aliquoties conatus ad ſedes. Deplorabant alii dyſurias, ſtrangurias, priapiſmos, urinam acrem urentem, debiliter & lente projectam. Vexabant alios, tumores & dolores, teſticulorum, penis, veſicæ, funiculi ſpermatici. Et, tum ob accerſitam coitus impoſſibilitatem, tum ob depravatum ſemen, ſterilitas plerumque ſequitur; vel quod dolendum valde naſcuntur infantes, qui paterni criminis pœnas luunt.

Nec 6. ſana remanebat anus; premebantur qui-

(*d*) *Onania p.* 37.
(*e*) *Ibidem p.* 25.

quidam pertinaci conſtipatione, hęmorroidibus, fœtidoque ex anu ſtillicidio. Memoratur apud *Hofmannum* juvenis, qui poſt ſingulam maſtuprationem, diarheam experiebatur (*f*); nova deperditionis virium cauſa.

En quæ pro Britannorum ægrorum verbis habere potes: Quid ipſe viderim nunc recenſebo; nec ſæviorem ullibi narratam hiſtoriam vidi, quam illam cui ineunte æſtate teſtis adfui. D * * * *, penduli faber, vigens, valens; anno ætatis decimo ſeptimo, (an proprio marte, an ſociorum ſuaſu neſcio), maſturpationi deditus, ſemen ejaculavit quotidie, ſemel, bis, ter; & quod probe obſervandum, quo tempore inſtabat & peragebatur ejaculatio, levi correptus convulſione, obnubilabantur ſenſus, & ſimul, caput convulſis muſculis poſterne vehementer retrahebatur, dum interim anterior pars colli valde intumeſcebat.

Nondum elapſo anno, ſummam debilitatem, poſt ſingulum paroxiſmum ejaculatorium & convulſivum experiebatur: Sed nihilominus, mens fœdis innutrita cogitationibus, & aliis forſan jam inhabilis, novas pollutiones continuo moliebatur; usquedum eo tandem debilitatis devenerit, ut metu perterritus mortis, a *re fœda dictu* abſtinuerit: tarde ſapiens, jam enim vicerat morbus; & illa erat partium adeo frequenter laceſſitarum mobilitas, ut vel leviſſimus ſtimulus ægro ſæpe ignotus, imperfectam ciens erectionem, citiſſimam ſollicitaret fluidi ſeminalis evacuationem. Quænam inde caterva morborum! Spaſmodica illa capitis retractio ſupra dicta, jam habitualis & morbida facta, ſæpius absque ulla ſenſibili cauſa, absque erectionis aut ejaculationis ſtimulo, ægrum ſua ſponte invadit, & tam acerbe, ut toto paroxiſmi tempore, id eſt ſæpe ultra quindecim num-

(*f*) *Ubi ſupra Caſ.* 104.

numquam citra octo horas, tantos in parte poſtica colli & in dorſo, pateretur dolores ut non ſemel ululaverit. Pharingis actio adeo impedita erat, ut, ne vel guttulam liquidi, aut ſolidi micam deglutire poſſet; vocem ſemper raucam, non vidi paroxiſmo mutari. Vires omnino perdebantur; artem quam colebat deſerere coactus, omni bono impar, auxiliis fere omnino deſtitutus per aliquot languit menſes; eo infelicior quod nondum prorſus immemor, infortunii cauſam dediſcere nequiret. Omnia in pejus ruebant; de miſero tandem audiens, ſponte illum adii. Cadaver aſpicio palea jacens; pallidum, macilentum, fœtentem, fere imbecillem video, vix demum hominem dixiſses. Inſcie effluebat ſaliva; premente diarhea, propriis fœdabatur excrementis; nares tenuem & aquoſum ſanguinem ſępe fundebant. Mens adeo labefactata, quod primo intuitu teſtabantur oculi & facies, ut praſi praſim nectere vix poſset; ideis vacuus ſtupidusque decumbens, de ſorte nihil jam ſollicitus aut lugens brutorum vivebat vita; raro, integro triduo deerat paroxiſmus. Frequens ſeminis effluvium absque titillatione & erectione; ſumma macies, niſi quod in artubus ędematis initium aderat. Minimus, frequens, celer pulſus; anhela reſpiratio; vires nullæ; oculi qui ab initio morbi debiliſſimi erant, nunc turbidi, lemoſi, luſcii & propemodum immobiles: Verbo, vix fœdius concipitur ſpectaculum. Pauca tentavi remedia e genere tonicorum, quorum ope ſpaſmodicos inſultus, qui tam ſęve ægrum cruciabant, jugulare potui. Sed cum nulla ſanationis ſpes remaneret; illa diu ingerere nolui, & menſe Junii œdematoſus obiit, vivere jamdudum neſcius.

Omnes tam ſæve non plectuntur; ſimptomata quæ frequentius ex fœdo more obſervavi, ſunt

ſunt ventriculi & pectoris debilitas, ita ut imperfecte muneribus fungerentur; quod numquam accidere, quin totius corporis labes ſequatur, apprime novit quicumque theoriam hominis vel curſim inſpexit. Inde præſertim vidi vomitus, tuſſes, raucedines; virium deperditionem; decolorationem; puſtulas frontem, tempora, naſum deturbantes; macilentiam, rugas; dolores capitis & tempeſtatum intolerantiam; oculorum languorem & viſus alterationem; intellectus imbecillitatem, memoriæ deficientiam; quod & propriæ ægrorum litteræ mihi inſcriptæ teſtantur (g).

In hypocondriacis, qui infami ſæpe culpantur vitio, ſæviora citiſſime inducuntur ſimptomata; dum enim, debilibus jam nervis, nova accedit debilitans cauſa, velox neceſſe ſuccedit ruina; notum eſt notius, hypocondrialgiam induxiſse ſæpe gonorrheas ſimplices. Virum hic vidi advenarium, qui, metu luis venereæ manuali deditus pollutioni, eam reportaverat hypocondrialgiam & anxietatem, ut ne uno momento valens dici poſset; & hæc erat mentis agitatio, ut nullibi quieſcere poſset, manſionesque perpetuo mutare cogeretur.

Tanti ſunt nonnullis angores, ut cordati mortem deſiderent.

Vivere cum nequeam, ſit mihi poſſe mori;

Dulce mori miſeris, ſed mors optata recedit. M.

Et fremens, ante biennium in epiſtola gallice conſcripta legebam, *ni compeſceret Religio, jam valedixiſſem vitæ eo ſæviori, quod propria culpa ſæva eſt.* Similia habet *Onania* (*h*). Vidi ſæpe,

(*g*) *Je ſens bien que cette mauvaiſe manoeuvre, m'a diminuè la force des facultès & ſur tout la memoire.* 15. Septembre 1755.

(*h*) *Into ſuch a deplorable condition had the frequent poluting myſelf brought me, that I was conſidering, whether*

pe, paroxiſmos epilepticos quibus ſemen profunditur, longe majorem debilitatem quam alii reliquiſſe. Novi pariter coitum illis paroxiſmos renovaſse; conſentiunt H. *Ab Heer* (*i*), & A. *Didier* memorans virum monspelienſem mercatorem, qui veneri numquam libabat, quin mox epileptico paroxiſmo corriperetur (*k*). Si eo devenit hypocondrialgia ut ſubinde in maniam aut delirium degeneret, novi certo, manuſtuprationem paroxiſmos citius excitaſse; & duplici concurrente cauſa, vix reparanda labes cerebro infertur; hucque egregie conſonant obſervationes alienæ, præter illas enim quas jam recenſui, ſimilem habent Ephemerides. C. N. *Civis Marpurgenſis temperamenti melancholici; vino ut triſtitiæ alexipharmaco addictus, cum anno* 1685. *ſecunda vice nuptias celebraret, & veneri nimium indulgeret, incidit in maniam adeo immanem, ut catenis ligari debuerit* (*l*). *Jakinus* in commentariis ad *Rhaſim*, poſteris tradidit hiſtoriam viri melancholici, qui ex profuſa venere, poſt paucos dies tabe & mania correptus eſt (*m*). Obſtipam illam rigiditatem a *Boerhaavio* memoratam, obſervavi & ipſe in maſturpatore, eo provectam, ut num ſuperior detur gradus neſciam. Inceperat morbus rigiditate colli & lumborum; invaſit demum artus, & infelicem vidi juvenem, lecto affixum, ſupinum, ne manum aut pedem movere potentem, fameque necandum, ni ori alimenta admoviſsent neceſſarii. Tam deplorandum ſtatum per

ther I had not deſerved the judgment that God ſent to Onan; and ſo apprenſive I was of it, that it brought me into a kind of Deſpair, till I had recourſe to two moſt excellent and pious Divines &c. p. 19.

(*i*) *Obſervationes medicæ oppido raræ obſerv.* 19.

(*k*) *Queſt. med. an Epilepſiæ mercurius vitæ?*

(*l*) *Decur. ſecund. ann.* 4. *obſ.* 166. *p.* 327.

(*m*) *Vid. Schenckium* L. I. Obſ. 236. m. t. 1. p. 284.

per aliquot hebdomades tranavit, viribus demum omnino deſtitutus, ſatis placide obiit.

Non modo innumeras chronicas pœnas inducit maſturpatio; ſed & acutas peſſimas reddit; *malignitatem*, quæ nihil eſt mihi niſi defectus vis vitalis, deficientibus præſertim, aut alteratis ſpiritibus animalibus, facillime arceſſit; typum depravat morborum; & vix emerſi ægri, longa & tædioſa convaleſcentia premuntur. Legitur jam apud *Hypocratem* hiſtoria adoleſcentis, qui poſt venerem & vinum, acutum irregularem valde & lethalem incurrit morbum. *Melibeæ adoleſcens quidam, ex comeſſationibus, liberaliore potu ac venere, longo tempore incaluit & decubuit. Horrorem autem ſentiebat & æſtuabundus erat, pervigil neque ſiti premebatur. Alvus prima die ſtercora multa demiſit cum magno humorum affluxu, proximiſque diebus aquæ ſimilia plurima prodiere. Urinas reddidit tenues, paucas, decolores. Spiratio erat rara, magna ex longis intervallis. Præcordiorum contenſio ſubmollis aderat, utrinque promiſſa, perpetua, & continens cordis palpitatio, urinam minxit oleoſam, paulatim mente motus eſt, compoſitusque erat & taciturnus, cutis reſiccata & diſtenta, alvi recrementa vel multa & tenuia, vel bilioſa & pinguia. Decimo quarto exaſperata ſunt omnia, mente motus eſt, valde deliravit. Vigeſimo vehementer inſanivit, corporis incontinentia & jactatio aderat, nihil minxit, potionem vix continebat. Quarto & vigeſimo phrenitide periit* (*n*). Miſerrime demortuos vidi, qui coitu frequentiori enervati, lue venerea fœdabantur.

Hæc omnia de viris præſertim dicta ſunt; ſed quod dolendum, & quod invitus, nec niſi flagranti deſiderio prodeſse motus, memoror; nevo maſturpatorio non caret omnino amabilis

K ſe-

(*n*) *Epidem. Lib. III. ſect. 3. ægr. 16. Foes p.* 1117.

ſexus. *Propertii* non renovabo exprobrationem.

Objicitur toties a te mihi noſtra libido;
Crede mihi, vobis imperat illa magis (o).

Propertio enim non aſsentiuntur *Hypocrates* (*p*) aliique perplures; & ex quacumque parte ſtet rectum, parum huc refert. Sed hoc docuit obſervatio, fœminas eſſe quę exteriorum genitalium, aut vaginæ frictione, coitus voluptatem imitari conantur. Tanta ne potuit fieri gentis humanæ depravatio, ut qui ſenſus conceſſus erat ducturus in mutuam voluptatem dulci copulatione; jam infando abuſu, ſolitaria pollutione, ambo ad omnigenam ruinam deducat: hæcne vis legum & morum? Certo, qui carent, opuſculum obſervationibus non ditabunt.

Huc referenda feminina ſtupratio quam Clitorideam ſi velis dicas. Dum ſæpe ludit Natura, nonnullas creavit mulieres, quæ ut *nimphæ* magnitudine, ſic abuſu, de uſu neſciæ, virum mentiuntur; fricatæque fricando, coitus gaudia imitari ſatagunt. Genus viris infenſum & oſum, veteribus haud ignotum; *Tribades* dixerunt, in ſuasque diſtinxerunt claſſes. Nec illarum nomina ſiluerunt authores, *Sapho* juniori ordinis inſtitutionem tribuentes (*q*). Num frequentius, num rarius inter feminas quam inter viros, vitium quod expugno; noſcere nihil intereſt. Docuerunt *Cleopatra* & *Meſsalina* coitum immoderatum longe minus eas debilitare quam viros; nec recentiora deeſſent exempla; & quotidiana praxis monſtrat longe plures viros quam feminas, morbos ex nimia venere pati. Nec latet phyſiologica ratio; femininum enim ſperma vitali ſeminio

(*o*) *Lib. III. Eleg.* 18.

(*p*) *De genitura*, *Foes. p.* 233.

(*q*) Conferri poteſt doctum opuſculum quod olim edidit Ill. *T. Tronchin*, *Diſſertatio inauguralis de Nimpha*, *Lugd. Batav.* 1730.

nio orbum, longe minoris eſt elaborationis & momenti quam verum ſemen teſticulare, accedereque videtur ad humorem quem ſecernunt proſtatæ (*r*). Damna tamen non ſemper effugiunt omnes illæ quæ limites excedunt, & memoria numquam excidet, ſi deficerent codices, quod æſtate anni 1746. puella viginti tres annos nata, ſponſione facta, audacter cum ſex militibus hiſpanis luctam veneream ſuſceperit: cum vero animoſe tota nocte in villa monſpelienſi, urbi proxima militaſset; mane, ſemianimis in urbe reportata fuit, vitamque eadem die cum uterino ſanguine profudit (*s*). Proprias confeſſiones *Onania* collectas evolvendo, invenimus eosdem planctus quos jam ediderunt viri; ſæviſſimas præſertim hyſterias; acres pruritus; icterum; ventriculi & dorſi acerbos ſpaſmodicos dolores, *cramps* dicunt; naſi dolores; alvi talem adſtrictionem, ut ex conatibus deponendæ ſedi neceſſariis, obcoetationis metus induceretur; fluores albos; uteri procidentias & exulcerationes; clitoridis elongationem & herpetem; furorem uterinum aliaque id genus (*t*). Sed tot calamitates diutius intueri dolet; quomodo inducantur nimia ſeminis emiſſione, & quid poſſit emiſſionis modus, nunc eſt exponere.

(*r*) Minus convenit explicatio mea, cum ſententia quam ex veteribus depromptam, ſumma ingenii ſagacitate adſtruere conati ſunt Ill. Phiſici *Galli* quos magni facio: Sed convenit aprime cum ſententia *Hypocratis*, cujus veritatem, extra dubii terminos poſuiſſe videntur obſervationes Illuſt. *Halleri*, quales habentur in diſſertatione Cl. *Kuhleman*, *de negotio generationis in ovibus*, *Lipſiæ* 1754.

(*s*) An inde aliquid accedit roboris ingenioſo ſiſtemati Cl. *Emett*?

(*t*) Confer. *Onania* p. 8. 14. 15. 20. 21. 59. 130. 153. 161. 162. 217. 238. 239. 240. 260. 319. 321. — 330. Ubi & circa *Tribades* nonnulla leguntur.

Ætiologia.

Non immorabor exponendæ ſecretioni ſeminis; uſum tantum narrabo & quid de preſtantia crediderunt artis magiſtri. Illud ex toto corpore ſeparari credidit *Hypocrates*, imprimis verum ex capite. *Viri genitura ex univerſo humido, quod in corpore continetur, proficiſcitur, ubi id, quod validiſſimum eſt exernitur. Cujus rei iſtud eſt argumentum, quod ubi rem veneream exercemus, tantillo emiſſo, imbecilles evadimus. Iſtud vero ſic ſe habet. Ex toto corpore venæ & nervi in pudendum procedunt, quorum attritu, ex calefactione & repletione, velut pruritus exoritur, indeque ad totum corpus voluptas & calor permanat. ---- Sic vero etiam in homine quod validiſſimum eſt & pinguiſſimum, a ſpumeſcente humore ſecernitur, & ad ſpinalem medullam progreditur* (*u*). Viam deinceps quam ſequitur ſperma exponit; & alibi ſententiam de natura ſpermatis ſimiliter narrans, memoranda habet verba; *ſemen genitale ex omnibus corporis partibus provenit, ex ſanis quidem ſanum, & ex morboſis morboſum. Si igitur ex calvis calvi gignuntur, ex cæſiis cæſii, & ex diſtortis ut plurimum diſtorti, eademque in cæteris formis valet ratio, quid prohibet cur non etiam ex macrocephalo macrocephalus gignatur* (*x*)? Illi non diſsentit *Galenus* nec

(*u*) *De genitura* Foes *p.* 231.

(*x*) *De Aere locis & aquis text.* 36. *Foes pag.* 289. Conferat. *De morbo ſacro text.* 5. *Foes p.* 303. Illuſtr. *De Buffon* qui ſententiam *Hypocratis* circa fœcundationem rejicit ut ſupra monui, illius ſiſtema circa ortum ſeminis omnino tuetur. Sed quod notari dignum mihi videtur, ea harmonia & concinnitate deſtituitur hodie qua olim nitebat. Admittebat enim priſca anatomia vaſa quæ particulas ſeminales e partibus ad lumbos veherent: cum vero illa antiquaverit recentiorum indu-

nec miratur debilitatem quam inducit coitus: *Sperma hominis, inquit, deſcendit ex omni corporis humore, qui fit ex ſubtiliori natura. Hoc autem ſperma habet nervos & venas proprias attrahentes ſe a toto corpore ad teſticulos* (y). *Neque vero ſolam ſeminariam humiditatem ab omnibus animalis partibus auferri continget hoc tempore, ſed etiam ſpiritum vitalem. Nam & hic ex arteriis una cum ſeminali humiditate evacuatur: quare nihil mirum eſt, immoderato coitu utentes imbecilliores reddi, a toto corpore utroque ſynceriſſimo ablato* (z). Nec injucundum erit eumdem audire narrantem placita Philoſophorum circa vivificum liquorem. *Ariſtoteles excrementum ultimi alimenti ſemen definivit, quod in ſe vim conficiendi tale aliquid continet, quale eſt id a quo projectum eſt. Pythagoras optimi ſanguinis ſpumam ſemen aſſerit.* ----- *Alcmæon cerebri particulam. Plato ſpinalis medullæ profluvium. Epicurus corporis & animæ modicum quiddam avulſum. Democritus ab omnibus præcipuis partibus corporis ſemen derivari credit, ut oſſibus, carne, venis* (a). Si plures evolvas, eadem ubique invenies; uno ore, omnes qui de ſpermate loquuti ſunt, illud tanquam humorem

K 3 pre-

induſtria, via defuit Illuſtr. viro qua *moleculas organicas* ex omnibus partibus ad teſticulos deduceret; inde rem factam aſsumpſit, quomodo fiat parum ſcitans; nec alius datur modus niſi abſorptio venulis, traductio ad cor, e corde diſceſſus ad omnes arterias, uſque dum omnis maſsa ſanguinea, ſucceſſive ſpermaticis colatoriis applicata fuerit. Sed quot & quantæ difficultates?

(*y*) *De ſpermate* Libr. I. Cap. I. *oper. Tom. VIII. pag.* 135.

(*z*) *De ſemine* Lib. I. Cap. XXV. *oper. Tom. I. pag.* 1281.

(*a*) *De hiſtoria philoſophica* Cap. CVIII. oper. T. VIII. *pag.* 35.

pretioſum, & valde momentoſum habent. Num idem ſit cum fluido nerveo ille ſolus exponere poteſt, qui fluidi utriusque naturam probe callet. Phœnomenis inductus illam opinionem amplexus eſt Fr. *Hofman*. *Planiſſime perſpicitur, quantum ſit illud commercium, quod cerebro eſt cum teſtibus, ----- ſiquidem & cerebrum, & teſtes, ſubtiliſſimam & delibatiſſimam limphæ partem a ſanguine ſeparant, quæ tonum ac motum partibus fœnerat, atque etiam animæ functionibus inſervit. Quamobrem non aliter fieri poteſt, quam ut nimia ac ſuperflua ejus excretio & robur ingenii infringat & vires corporis labefactet* (*b*). *Liquidum ſeminale, cum eo quod in cerebro ſecretum, per cunctos univerſi corporis nervos diſtribuitur, ejusdem fere eſt indolis ac eſſentiæ; quamobrem quo evacuatio illius eſt copioſior, eo parcior liquidi animalis in cerebro contingit ſecretio* (*c*). Ill. *Gorterus* encomia magis adhuc celebrat, *ſemen* inquit *eſt ſuccus nobiliſſimus, omnium elaboratiſſimus, ultima coctione corporis conflatus, qui forſan eodem modo, ac ſpiritus animales & vitales, ex nobiliſſima parte humorum originem ducit, quod ex eorum conſenſu patere videtur* (*d*). Humorem demum omnino neceſsarium, dicas ſi lubet oleum eſſentiale, vel rectius forſan, *ſpiritum rectorem*, quo evolato, reliqui in vappam mutantur.

Sed inquient, quid intercedit nobilitati humoris ſecreti, imo excreti vel ſaltem in acervariis ſuis repoſiti, & vi corporis? Conceditur, ſanguinis, ſeri, limphæ, evacuationem debilitare; de ſemine, vix intelligitur. Simplex

(*b*) Ubi ſupra *Caſ.* 102, *p*. 293.

(*c*) Ibidem.

(*d*) *De perſpiratione inſenſibili*. Cap. XVII. §. 5. p. 219. Theſis extat in qua G. A. *Iacques* quærebat anno 1720. *An humorum præſtantior, ſemen?* & affirmative pro loci more reſpondebat.

plex & facilis reſponſio. Secernitur enim ſemen, ſed niſi continuo depravato abuſu aut morbo ejiciatur, ſanguini continuo reſtituitur, & merito annumeratur claſſi humorum quos ſchola dicit *recrementitios*. Id optime jam noverunt antiqui fuſeque multibi expoſuit *Galenus*, contendens, in iis qui venere non utuntur omnia ſemine plena, licet ſi circa modum toto cœlo aberaret; nec inde minor obſervationibus fides. *Velim autem & te quicumque tandem mea ſcripta verſabis, etiam nunc in honorem veritatis, ea quæ dicta ſunt, exquirere non frigide nec oſcitanter, neque enim ſic inveniantur; ---- nimirum quod animalia quæ a converſatione feminarum abſtinent, omnia ſemine plena habent; ---- ſi vero animal aliquod per aſſiduos coitus ſemen evacuavit, nulla pars ſemen habet* (*e*). Multus eſt ibidem, ut exponat quomodo parca ſeminis quantitas, multum roboris corpori tribuere poſſit, ſicque rem fieri ſtatuit; *ſinceriſſima eſt teſticulis ſeminis qualitas, & propterea celerrime omnes animalis partes ejus participes faciunt* (*f*). Pluribusque deinde adductis exemplis, quibus probat, cauſam ſpecie levem magnos producere effectus, addit, *quid igitur mirum eſt etiam ex teſtibus in totum corpus facultatem quamdam diſtribui? qualis nervis quidem ſenſus & motus ex cerebro, arteriis vero pulſandi facultas ex corde* (*g*)? Plures dantur humores qui novis ſecernuntur uſibus; ſit inſtar omnium ſaliva, cujus profuſior evacuatio ſuos & graves morbos inducit. Via qua humoribus reſtituitur magis fateor patet quam via ſeminis; huic enim nullum ſub nudos ſenſus cadens ſpeciale canale; ſed continua fit

(*e*) *De ſemine* Lib. I. Cap. XXV. Oper. Lib. I. p. 1279.
(*f*) *Ibidem* Cap. XXIV.
(*g*) *Ibidem*.

abſorbtio venis bibulis, quæ ex omni ſpermatis via oriuntur, ex epididymide, canali deferente, & præſertim veſiculis ſeminalibus. Innumeræ adduci poſſent illius regreſſus probationes, quibus in tanta luce ſuperſedere licet; verba tantum excitabo Ill. *Halleri: Semen in veſiculis adſervatur, quamdiu neque vigil homo venerem exercet, neque per inſomnia ludit. Eo tempore toto præſens quidem copia animal ad venerem ſtimulat, ſed multa & maxime volatilis, odora, vis ſeminis reſorbetur in ſanguinem, eique addita, miras mutationes inducit, barbam, pubem, cornua produci jubet, vocem mutat, moresque. Neque enim hæc animali ab ætate accedunt, ſed a ſemine* (*h*). Quæretur adhuc, omnem enim lapidem movent cavillatores, cur Eunuchi qui ſicut maſturpatores ſemine carent, horum morbis non vexentur? Facilis ſolutio nobis, veteribus difficilior. Novam elaborationem accipit in teſticulis pars illa humorum quam ſemen *in potentia* dicerem, ſicque fit *ſemen in actu* quod novis contractis proprietatibus, in uſum corporis vertitur, illique vim novam conciliat; ſicut ſaliva quæ in ſanguine jam exiſtebat, effectus edit poſt ſecretionem, quos humorum maſſæ relictæ, numquam edidiſſet. Semen vero illud *in potentia* jam eſt pars ſanguinis elaboratiſſima, eo enim copioſius & perfectius ſeparatur ſemen, quo perfectior ipſe ſanguis, qualem præbet juvenis & vegetus homo, dum hac ſecretione carent, ægri, cacochimi, debiles, ſenes. Nunc ſic explicatur phœnomenum. In maſturpatoribus deficit & ſemen *in potentia*, quod jam magni eſt

(*h*) *Primæ lineæ phyſiologiæ* §. 790. Qui uberiora deſiderat, conferre poteſt inter plures alios *Skmeiderum de ſeminis regreſſu ad maſſam ſanguineam*, *ſupplement Actor. erud. Lipſ. T. V. p.* 408. opuſculum reperiundum in *Onaniæ* collectione p. 252.

eſt momenti, & ſeminis in actu effectus, dum hoc tantum carent Eunuchi priori verum gaudent. *Petitur quare caſtrata animalia ita mutentur, ut quaſi fœmineum habitum acquirant? Reſpondemus cum Th. a Vega illud provenire ex aura quadam ſeminali in generatione ſeminis elevata, quæ ita totum corpus immutat, ut ipſæ carnes non liberæ evadant: experientia enim comprobatum eſt, non caſtratorum animalium carnes ſeminis aliquod virus referre, unde aliquando contingit, ut non caſtratorum porcorum carnes, dum coquuntur, tam graveolentem odorem de ſe ſpargant, quod minime contingit in caſtratis* (*i*).

Præterea, coitus non nocet tantum ratione amiſſi ſpermatis, ſed quoque epilepſiæ ut cum *Democrito* loquar, quæ ejaculationi comes eſt, cujus damna non ferunt *Eunuchi*. *Hæc actio vehementiſſima eſt, & convulſioni proxima, hinc mire debilitat, & late ſiſtemati nervoſo nocet* (*k*). *J. A. Borelli* quam plurimum tribuere videtur huic cauſæ; *licet cerebrum, & teſticuli ſint officinæ diſcretæ inter ſe, quia tamen in eodem corpore animalis continentur, mirum non eſt quod ſe mutuo afficiant, & compatiantur; verum mirabilis conſenſus, qui intercedit inter teſtes, & cerebrum pendere videtur ab alia longe diverſa cauſa.* „ Videmus enim, quod in æſtu venereo „ valde perturbantur animalia, afficiunturque „ convulſiva quadam paſſione, & veluti epile„ ptico ſuavi deliquio: hoc autem nullo pacto „ fieri poſſet, abſque vehementi agitatione ſpi„ rituum animalium & concuſſione cerebri, & „ totius nervoſi generis „ (*l*). *Galenus* cauſis quæ

(*i*) *Regneri de Graaf de virorum organis generationi inſervientibus* ſub finem Confer. J. A. *Borelli* Lib. III. Cap. XII. prop. 171.

(*k*) *Halleri* lin. phyſiol. §. 802.

(*l*) *De motu animalium* Lib. II. Cap. XII. *prop.* 170.

quæ ex coitu debilitatem generant, jam adſcripſerat voluptatem, *quæ ipſa per ſe ſufficiens eſt vitalem firmitatem ſolvere* (*m*). Et *Sanctorius* magis vituperat agitationem quam emiſſionem; *corporis agitatio in coeundo, magis nocet, quam ſeminis emiſſio: hæc ſolum viſcera, illa omnes nervos & viſcera, defatigat* (*n*). Hic ni fallor errat Ill. *Gorterus* dum damna concuſſionis nihili habet, *quia* inquit *corporis agitatio nihil differt ab aliis corporis exercitiis* (*o*); motus eſt enim convulſivus, & quiſque novit quantum laſſent convulſivi inſultus. Sed ad reſorpti ſeminis actionem.

Agit in corpus, robur conciliat, & plures functiones robori connexas in actum deducit. Modus vero quo agit, res eſt ex illis circa quas omnino cæcutimus. Qui effectus *ſpiritus rectoris* intelligit, ille quæſito lucem affundat. Leniter forſan ſtimulat; quicquid ſit parum refert: hoc tantum aſſumimus quod demonſtravit obſervatio, nimirum ejaculationes ſolidorum tonum minuere; quot inde morbi illum non latebit, qui novit vi ſolidorum totam niti œconomiam animalem.

1. Digeſtio turbatur, ea forſan cauſa, quod nulla alia functio tam integras vires requirat; inde eſt cur prima damna patiatur ventriculus.

2. Ex vitiata ventriculi pepſi, debilitatoque aliarum partium robore, ſequitur defectus coctionis & nutritionis, & omnium chronicorum morborum generationi par eſt ſola ventriculi labes; nemo valet enim qui debilem nactus eſt ventriculum. Dum indigeſtione premitur aliquis, nulla recte ſuccedit functio; ſed obtun-

(*m*) *De ſemine* Lib. I. Cap. XXV.
(*n*) *Sect. VI. aph.* 39.
(*o*) *Commentar. in eund. aphor. p.* 525.

tunduntur imprimis, tum interni tum externi ſenſus, labunturque nervorum vires; nec apprehendit, nec imaginatur, nec audit, nec videt, nec dormit.

3. Nervos debilitat, omneſque tum ſpaſmodicos tum paraliticos morbos inducit; ea eſt enim lex humanæ machinæ, ut ſemper generis nervoſi morbi ſuccedant quoties deficit coctio; nec illos unquam ſanabit qui hanc neſciet obſervationem. Præterea ſi humor ſeminalis idem eſt cum fluido nerveo, nova emergit ratio deficientiæ ultimi. Effeminantur demum repetitis ſpaſmis quos inducit ejaculatoria commotio, ex illorum autem labe augetur ventriculi infirmitas; nam cum nulla pars tot gaudeat nervis, præ omnibus aliis, vitiis nervorum vitiatur.

4. Tranſpirationi & omnibus aliis functionibus officit; nova inde cacochimiæ ſcaturigo. *Impedit perſpiratum, quia diminuit vires* (*p*).

Patet cui novit hominem nullum dari morbum chronicum quem ex quadruplici illo fonte deducere nequeas: omnium ſimptomatum pathologiam exponere tædioſum foret: legi poſſunt quæ huc ſcripſit Ill. *Gorterus* (*q*). Ill. *Gunzius* tentavit explicare mechanice damna reſpirationis (*r*), ſed ſagaciter magis quam acurate. Circa modum quo inducuntur morbi oculorum, multi ſunt *Sanctorius* & *Hoſmannus*; vera dixerunt: cauſam prætererunt quæ mihi præcipua videtur, vividiorem volo affluxum humorum ad oculos, quem ſatis teſtatur ſcintillatio toties apud bruta coitus tempore obſervanda. Sic enim diſtenta vaſa tonum deinceps amittunt, & facillime obſtructiones incurrunt, ner-

(*p*) *Sanctorius ſect. VI. aph.* 37.
(*q*) *Ibid.* Cap. XVII. §. 8. 12.
(*r*) *Comment. in libr. de diæta acutorum p.* 228.

nervique paraliſim; quis inde non ſuccreſcet oculorum morbus?

Mentis morbos quis ex corporis vitiis intelliget? Hoc verum eſt: repugnat, corpus in ſubſtantiam non corpoream agere: probant phœnomena, corpori compati mentem; tardior enim aut rapidior circulatio, dilutior aut denſior ſanguis, animi judicia protinus mutant; ſed afficitur præſertim ſpirituum affectibus: modum neſcimus & parum refert. Docuit experientia, in eodem corpore ſano, eſſe vires mentis ut vires corporis.

----- gigni pariter cum corpore, & una
Creſcere ſentimus, pariterque ſeneſcere mentem,
Nam velut infirmo pueri, teneroque vagantur
Corpore; ſic animi ſequitur ſententia tenuis.
Inde ubi robuſtis adolevit viribus ætas:
Conſilium quoque majus, & auctior eſt animi vis:
Poſt ubi jam validis quaſſatu'ſt viribus ævi
Corpus; & obtuſis ceciderunt viribus artus:
Claudicat ingenium, delirat linguaque, menſque,
Omnia deficiunt, atque uno tempore deſunt.

Quin etiam morbis in corporis avius errat
Sæpe animus, dementit enim; deliraque fatur (*s*).

Sic delineatis quæ ad morbos ex venere in gnere pertinent; incumbit ut inquiram cur citius & acerbius ex maſturpatione naſcantur. Qui ſpecialem actionem *Providentiæ* ubique ſupponere amant, reſpondere non hærebunt, rem ſic voluiſſe *Deum* ut plecteretur ſcelus. Cum

(*s*) *Lucretius de natura rerum* Lib. III. *verſ.* 446.

Cum vero firme crediderim, ſummum Numen ſuas corporibus indidiſſe leges, quibus continuo regantur, & quarum normam, numquam niſi in pauciſſimis reſervatis caſibus mutat; ſum ex illis qui non ſponte confugiant ad miraculoſas cauſas, quamdiu non deſunt phiſicæ, nec in noſtro caſu deſunt.

Primam, præbet obſervatio *Onaniæ*, qui ſicco tamen pede tranſiit hujus phœnomeni explicationem, ut alia plura quæ medicæ ſunt provinciæ; imperium volo illud quod in mentem maſturpatorum arripit deteſtabilis mos; ita ut obcœnæ ideæ, illos, omni tempore, ubique, inter ſeveriora negotia, ad aras uſque, volentes, nolentes, impetuoſe obſideant (*t*). Nihil autem ſpiritus magis diſſipat mentemque delaſſat quam intenta ejuſdem ideæ volutatio. Plus virium deperdit qui attente per horam unam eidem ideæ addictus eſt, quam ſi tota die, ſed de variis, cogitaſſet; recreat enim diverſitas. Nec latet cauſa fœdarum illarum & continuarum cogitationum; dum nimirum ad venereas ideas ſponte ſua movetur mens, nullo egens objecto externo, mox, accedente vi potenti conſuetudinis, turpia continuo molitur, iiſque diſcedere nequit. Inde vero, non modo minuitur vis animi & corporis; ſed & reſiduæ vires omni ineptæ ſunt muneri, venereis ideis alias continuo obtundentibus. Plures excitare poſſem juvenes, qui tali peſſundati cauſa, deſides,

(*t*) *No ſooner has uncleanneſs got the maſtery over the heart, but forthvvith it purſues the Man everyvbere, and keeps its poſſeſſion of him at all times, and in all places. Upon the moſt ſerious occaſions, and in the very acts of Religion he ever-and-anon finds himſelf tranſported vvith luſtful conceptions and deſires, vvhich inceſſantly follovv hem, and take up his thoughts &c.* p. 17.

ſides, miſeri, infelices tota remanebunt vita, quam fauſte longam non trahent.

Secundam cauſam monſtrat *Sanctorius*, *coitus mediocris juvat excitatus a Natura: a mente mentem & memoriam lædit* (*u*). Natura enim coitum ardet, ubi genitalia turgent revera ſemine. Mens verum obcœnis dedita, ſeminis eductionem ſollicitat licetſi vix ullum adſit ſemen, talis enim genitalium fabrica ut ſæpe mentalis, externus, vel morbidus ſtimulus, ſpermatis partes agens erectionem cieat. Satis vero patet, ejaculationem ſic vi extortam longe magis nocere multiplici nomine quam illa quæ redundantia ſeminalis humoris arceſſitur. Nec lex eſt hiſce partibus ſpecialis; ſuum eſt pleriſque functionibus tempus, extra quod ſi illas exercere conemur, pœnitet ſemper.

Secundæ cauſæ connectitur tertia, frequentia nimirum facinoris. Dum incumbebam Philoſophiæ ſtudio in Academia Genevenſi, quod tota vita gratus gaudebo; vidi non ſemel horrore perculſus, viderunt & alii egregii commilitones, juvenem alienigenum, qui, tanta prurigine, vi conſuetudinis & incipiente jam ſtimulo morbido inducta, fervebat, ut ſibi temperare non poſſet, quin in ipſo prælectionum tempore, balanum titillaret. Non diu dilata pœna, poſt biennium enim tabidus obiit. Similem hiſtoriam habet *Onania* (*x*). Nec mirum quicquid habet pruritus ille; pars enim quæcumque animalis ſæpe irritata, morbidam acquirit mobilitatem, eoſdem motus ut fuſius infra dicetur cientem quos antea artificialis irritatio; Sic jam narratum eſt ex anglica collectione, furorem uterinum ortum in femina poſt maſtuprationem.

Secunda & tertia cauſa ſolutionem præbent obje-

(*u*) *Sect. 6. aph. 35.*
(*x*) *p. 126.*

objectionis, quam hic recenſere fas ſit. Reus quiſque ſibi aſſumit panegyrim quam pro *Diogene* edidit *Galenus* ſcribendo, *Diogenem cynicum, virum alioqui omnium mortalium, quod ad continentiam pertinet conſtantiſſimum, libidini tamen indulſiſſe, non a copulata illi evacuationis voluptate, veluti bono aliquo illectum, ſed ut noxam a retento ſemine, evitaret* (y). Plura regerenda habeo; 1. enim Apologiam *Galeni* nihili eſſe monuit inter alios plures *Gaſparus a Reyes;* poſtquam enim experientia doctus, poſuit, ſemen in veſiculis coacervatum minime nocere, & ſi turget, ſuccedere pollutionem nocturnam; addit, *inde colligendum eſt, turpiſſimum ac ſpurciſſimum extitiſſe Diogenem Cynicum, dum ſalutis cauſa, manu hymeneum celebravit: ---- quare etiam culpandus Galenus, qui continentiſſimum illum extitiſſe ait, cum tamen nullam hic continentiam ſervare voluerit, & infamis potius maſturbator fuerit* (z). 2. Conceſſa quidem ejaculationis neceſſitate patet ex tertia, ſecunda, imo & prima cauſa, damnorum ex maſtupratione, aſſignatis, illam infamem praxim, vel ſepoſito crimine, medice numquam admittendam eſſe, damna ſiquidem neceſſe infert. Qui enim illi ſe tradunt, non ſeminalibus, ſed mox coacta vi, mentalibus ſtimulis auſcultant, eo ſæpe tempore, quo nedum abundet ſperma, quin imo deficit. Fœdantur & pueri & puellæ, monſtrantibus viam ſociis, diu ſæpe ante tempus quo Natura primos ciet veneris ſtimulos. Fœdantur debiles qui ſemine & ſanguine carerent: ſed heu quonam ſucceſſu? Dum hæc ſcribo accipio epiſtolam, & poſt innumerarum ægritudinum recenſionem lego; *numquam credidiſſem tot infirmitatibus*

(y) *Oper. omn. t.* 4. p. 153.

(z) *Elyſius jucundarum quæſtionum campus. quæſt.* 46. p. 569.

tibus premi poſſe Naturam humanam. Sic luget autem vir qui debilis natus, morbum manu juvenis adhuc auxit. Sed e diverticulo ad viam.

Quarta cauſa, cur emiſſa eadem ſeminis quantitate, majora damna inducat maſtupratio quam coitus, hæc eſt; quod licetſi frequentiores non ſuccedant ejaculationes, nihilominus, continuæ illæ erectiones quas ſtimulationibus cient, potenter vires enervet; omnis enim motus intenſior, ſpiritus animales diſſipat; deſunt aliis functionibus quæ ſic imperfecte ſuccedunt; & morbi ex duplici generantur cauſa. Præterea, partes ſæpius diſtentæ omnem demum tonum amittunt; quod nos docet, cur paralyſis genitalium & gonorrhea ſimplex, invadant ſæpius manuſtupratores quam venereos.

5. Decubitus, in quo omnes pacati ſunt muſculi, damna debilitationis minuit; dum e contra, ſi Pollutores ſedentes aut orthoſtadii ſemen ſollicitent, major ſuccedit labes. Muſculi enim jam propria actione laſſati, novo concuſſu magis mulctantur. Inde ortum ducunt lumborum dolores, quibus ſæpe cruciantur. Narrabat quondam ſagax & expertiſſimus Chirurgus de juvene, qui vulgivagæ veneri infimioris notæ libans, vixque alibi quam in triviis pedibus ſtans coitum celebrans, ſic ſibi conciliavit, præter ſæviſſimam lumbaginem, atrophiam ſemi paraliticam femorum & crurum; qua lecto affixus, & increſcente morbo, poſt ſex menſes obiit.

6. Conſentiunt omnes, ſanum & vegetum corpus expirare & inſpirare cutaneis poris; illamque materiem expiratam, ſi alio inſpiratur, huic vim & robur impertiri numeroſæ demonſtrarunt obſervationes: Docuerunt aliæ, expirationem majorem eſſe tempore coitus; inde ergo

ergo ſequitur labem quam infert coitus, reſarciri utrinque, inſpiratione expirati perſonæ concumbentis. Expiratio enim inſpirationem non turbat, cum cuique functioni ſui ſint diſtincti canales.

7. Paulo ſubtilior hominis conſideratio, novam adhuc oſtendit cauſam. Novimus enim, lætitiam animos erigere, circulationem juvare, vires intendere: ſi ergo lætitia animi, quam a mechanica voluptate recte diſtingui velim, nam toto diſtant cœlo, ſi lætitia animi inquam, ſeminis evacuationem comitatur, hujus incommoda quodammodo reſarciet, quod & ipſe *Sanctorius* notavit; *poſt nimium coitum cum muliere quam maxime concupita, non ſentitur illico laſſitudo: animi enim conſolatio juvat tunc perſpirationem cordis, & auget ejus robur, unde in ipſo, quod amittitur, promptius remittitur* (*a*). Et hoc nixus aphoriſmo, merito ſcripſiſſe videtur *Venette*, concubitum cum eleganti fœmina minus laſſare quam cum alia. Vix autem videtur dubium, quin mens majori gaudio perfundatur, dulces ſequens amplexus, quam libans fœdæ, turpi & criminali laſciviæ. In priori caſu, voluptas capit mentem; in ſecundo, mens allaborat ut voluptatem capiat; ſicque in primo, partim reparatur virium diſpendium, quod in altero augetur.

Patet ex prædictis, maſturpatores omnes recenſeri poſſe inter illos qui nimis uſi ſunt coitu; ſicque de illis vere prædicari omnes morbos quos inducit profuſior venus. 1. Enim ut ſuperius demonſtratum, longe extra neceſſitatem ſperma educunt; 2. ubi adeſt neceſſitas coitus, aufertur ultra neceſſe, ſiquidem pericula habet manuſtupratio coitui aliena. Metus incurrere morbos fuſe antea enarratos, ſufficiens videtur ratio quæ hominem, quemcum-

L que

(*a*) *Sect. 6. aph. 6.*

que modo non delirum a tali praxi arceat; aliaſque addere vix neceſſum credo; ne tamen omnino mancum opuſculum videatur, pauca adjicienda veniunt.

1. Vix ullum ſcelus invenies quod citius & acerbiori pœna plexus ſit Deus.

2. Nullum datur quod magis gentis humanæ propagationi noceat; nullum quod magis ſocietatis amœnitates deſtruat, dum vim frangit mutuæ illæ propenſionis qua arcte vinciuntur ſexus.

3. Ubique verum effatum Poetæ

O miſeri, quorum gaudia crimen habent.

Sed nec infeliciores dantur quam noſtri; nulla enim poſſibilis excuſatio; turpitudo anxietates auget; alia vitia fateri audent Rei, plures e contra Onaniæ ſcribebant ſe mortem ſæviſſimam paſſuros potius quam vel coram devenire poſt talem confeſſionem. Eo devenit ſæculum noſtrum, ut illegitima venere vix pudeat, ſæpe glorietur; infamia vero notantur maſturpatores. Omnis inde abjecta conſolationis ſpes. Innumeræ deſperationis cauſæ quotidie oriuntur.

Qui attente perpendet omnia damna quæ accurate ſuperius recenſui; præter morborum metum, perplures alias inveniet rationes, inter quas præcipuæ videntur labes quam patitur mens, qua, homini nihil metuendum magis. Morbida progenies quæ omni hora opprobrio & dolore parentes culpat. Imo ſæpe dulcis ineundi conjugii dempta ſpes; vel quod acerbius longe, infelicis rixæ? Hic vivit artifex qui propria arte debilitatus, & inde piger, deſes, morbiduſque factus, & veneri ut labori impar juvenem ſalacemque fœminam lucri cauſa ducens, quicquid, matrimonium, calamitatis ciere poteſt experitur. Sed jam ad therapeiam accedo.

Pra-

Praxis.

Obſervationes præbuerunt celeberrimi medici, *Onania*, & propria praxis, ex eodem triplici fonte auxilia depromam.

Prognoſis læta non habet. Mortem indixit *Hypocrates*; *Miſerrimus eſt Morbus* inquit *Boerhaavius*; *nulla enim fere ſpes ſupereſt, ſæpe vidi, neque unquam curare potui* (*b*). Ill. *Van Svvieten* medebatur in caſſum per triennium juveni de quo memoratur. Ipſe mortem miſeram obſervavi & narravi, & nonnullos ſublevare vix potui. Sed tamen omne non deſerendum tentamen: animos erigunt ſucceſſus optimorum Medicorum, *Onaniæ*, imo & quondam proprii.

Curatio ex aliis Medicis.

Hoc eſt juſſum *Hypocratis*, in quo inter egregia, nonnulla invenies quorum futilitas infra demonſtrabitur; hæc eſt enim gentis humanæ infelicitas, ut vix ullus imo e præſtantiſſimis medicis, omni vacuus ſit hypotheſi, circa cauſas morborum: & ſi quando medelam ex hypotheſi inſtituerunt, ſæpe, ut ut infelix eventus, propriis excogitatis nimis indulgentes, vim morbi, ne minimum medelam culpant; & ſane hypotheſi indulgebat *Hypocrates* dum purgationes ſuaſit. *Cum ita habuerit, ſi per exordia curandum ſuſceperis, fomento toti corpori admoto, medicamentum per ſuperiora purgans bibendum exhibeto, poſteaque caput purgato, deinde vero deorſum purgans propinato. Ad curationem autem vere præcipue aggredi velis, poſteaque ſerum aut lac aſininum propinato. Lac vero*

 bubu-

(*b*) *Prælection. in propr. inſtit. ub. ſup.*

bubulum per quadraginta dies bibendum exhibeto. Veſperi quamdiu lac bibet, alicam ſorbendam dato, a cibis autem abſtineat. Cum vero a lactis potu ceſſaverit, mollibus cibis, a paucis initio ducto eum reficito, & quam maxime incraſſato. Per annum crapula, venere & immoderatis exercitationibus abſtineat, præterquam deambulationibus, in quibus frigora & ſolem nitet (c). Difficultates curationis, potius quam curationem optime monſtravit *Batavus Hypocrates*, *lac* inquit *non retinent, equitatio non prodeſt, queruntur enim ſibi vires omnes inde labeſcere, poſt muſculorum enim motum etiam largius per nocturna ludibria & ſemen profundunt, & vires; & redeunte die ſudore madidi, atque ex ipſo ſomno debilitati lectum relinquunt. Sed neque aromata ferunt, quorum eadem noxa eſt; ſola ſpes eſt inquit in bono alimento, moderato corporis exercitio, cum pediluviis conjuncto & frictionibus cautiſſime adhibitis* (d). Inter conſultationes quas addidit Ill. Diſcipulus *Hallerus* una reperitur pro viro qui *coitui planiſſime ineptus erat*. Sic compendioſe enarratur caſus. „ Vir triginta annorum adeo organa generationis labefecerat, „ ut ſemper efflueret ſemen quotieſcumque „ vel tantillum membrum virile intumeret, „ quod tamen perfecte numquam erigebatur, „ neque tum impetu ſemen ejaculabatur, ſed „ guttatim profluebat. Itaque ad coitum planiſ„ ſime ineptus, memoria læſa, ventriculo, re„ nibus, cruribus &c. Recuſavit uti commen„ datis remediis, ſed ad cœlibatum ſe iſpum „ damnav t, mortuus deinde dyſenteria mali„ gna. „ Sic reſcripſit *Boerhaavius*.

„ Semper habent hujuſmodi mala difficulta„ tem, nec ſe manifeſtant, niſi invalido jam „ ex magnitudine morbi corpore, quando ſera

„ fere

(c) *De morbis. ubi ſupr.* Foeſ. 479.

(d) *Ubi ſupra.*

„ fere medicina paratur, puto tentandam cu-
„ rationem hiſce remediis; 1. utatur victu ſic-
„ co, levi, ex avibus, bubula, ovilla, vituli-
„ na, cervina, aſſis potius quam elixis, cere-
„ viſia pauca at meraca, vino modico ſed ge-
„ neroſiſſimo. 2. Exercitia corporis ſint mul-
„ ta, ſenſim aucta, quotidiana, vacuo ventri-
„ culo, ad levis fagitationis initia. 3. Lum-
„ bis, Peritoneo, Pubi, inguinibus, ſcroto,
„ applicentur omni mane & veſperi, frictiones
„ inſtitutæ cum pannis laneis, ſiccis, calidis,
„ & retentis ſupra fumum incenſi olibani, ut
„ optime ſint penetrati a fumis hiſce dum fri-
„ catio peragitur. 4. Tum ſumat omni biho-
„ rio interdiu, drach. ſs. de hoc condito.

℞. *Catech. dr. IV.*
Opopan. dr. V.
Cort. per. dr. VI.
Conſ. roſar. rubr. unc. I.
Olibani. dr. II.
Succ. acac. unc. s.
Syrup. Kermes. q. ſ.
f. l. a. conditum.

„ Superbibat qualibet vice unc. s. de hoc
„ vino medicato:

℞. *Rad. cariophil. mont.*
Pæoniæ mar. aa unc. I.
Cortic. rad. Capparid.
tamariſc. aa unc. 1s.
Lign. agalloch. ver. unc. I.
Vin. gall. alb. Lib. VI. f. l. a. vin. med.

„ His ubi ſe dederit ſpatio duorum men-
„ ſium, ſanationem ſpero (*e*).
„ Sic cautelas & curam tradit *Hofmannus*,

(*e*) *Conſultat. medica.* t. 2. p. 36.

„ abſtinendum ab ejuſmodi remediis, quæ imbecillibus minus accomodata ſunt, & enervatum corpus adhuc magis debilitant. Hujus notæ ſunt omnis generis adſtringentia, nimium refrigerantia, ſaturnina, nitroſa, acida, maxime vero narcotica, licet alias pervulgatum ſit, ejuſmodi in caſu talia commendare remedia, quæ tamen hic nocentiſſimam habent facultatem.

„ Longe ſatius erit diſpicere, ut inſtaurentur vires corporis, & partium robur amiſſum reſtituatur. Cui tamen ſcopo, minime inſervire putamus calidiora, ſpirituoſa, volatilia, aromatica & ſuaveolentia; ſed potius commendamus leniora nutritiva, quæ ejuſmodi dulcem, ac gelatinoſam ſubſtantiam ſuppeditant, quam nimia ſeminis excretio corpori quotidie ſubtrahit. Præſtant hoc imprimis juſcula, ut vocant confortantia, quæ ex carnibus bovinis, vitulinis, caponibus, addito modico vini, ſucci citri, ſalis, nuciſtæ & cariophillorum optime parari poſſunt. Hiſce inſigni cum fructu adjungere licet remedia quæ tranſpirationem juvant, & languentium fibrarum tonum erigunt (*f*). „ In alia conſultatione, pro infirmo manuſtupratore, ſuadet *ſingulo mane unam menſuram lactis aſinini, cujus binæ partes cum una ſelteranarum acidularum commixtæ erant* (*g*). Eadem, ſimilia, aut mala, habent alii quos excitare inutile foret.

Quid ſpecialiter de nocturnis pollutionibus dixerint pauciſſimis indicare facile; *Galeni* enim & aliorum veterum doctrinam, accurate ut ut barbare delineavit *Celius Aurelianus* cujus adducam verba; & poſteriores boni nihil ad-

(*f*) *Ubi ſupr.* Caſ. 102.
(*g*) *Ibid.* Caſ. 104.

addiderunt. „ Convenit 1. ægrotanti ab intentione venerea viſa mentis avertere, quæ Græci phantaſmata vocaverunt, atque alіorſum applicare intentionibus externis admotis. --- Tum ſtramenta duriora atque frigerantia procuranda. Jubendi etiam ſupra latus jacere, cum ſe ſomno dederint, & ante ſe, (*id eſt ſupra ventrem*): Vel ſupponenda tenuis ac producta lamina plumbea clunibus, vel ſpongiæ circumdandæ poſca frigidæ infuſæ, vel injiciendo loca rebus frigidæ virtutis, ex balauſtio, vel acacia, aut hypociſtide, vel pſyllis herba, quæ ſunt ſingularia, vel cum palmulis adhibenda. Cibus etiam conſtrictivus dandus, vel denſabilis, & frigidus. Poto quoque frigido nutriendi, vel conſtrictivis, non quidem curioſe confectis. Tum adhibenda fortificatio ex communi reſumptione, & facienda conſuetudo frigidi lavacri, quod Græci ψυχρολουσιαν appellant. Loca etiam in paſſione conſtituta forti impreſſione fricanda. Sunt enim hæc ſufficientia conſtrictioni faciundæ (*h*). „ Vituperat deinde & merito nonnulla conſilia inepte propoſita, inter quæ recenſetur ligatio penis cujus & futilitatem expertus eſt unus e clientibus *Onaniæ* (*i*).

Morbi pertinaciam monſtravit egregie *Hofmannus* & vitanda; curationem aliam non habet quam ſuperius dictam. „ Nullus propemodum affectus ita exercere ægrum, & medenti faceſſere negotium conſuevit, quam pollutio nocturna, quæ diutius perſeveravit, & quaſi habitualis facta eſt; præſertim ſi ægrum quotidie adfligit. Fruſtra tunc atque in caſſum plerumque adhibentur omnis generis remedia,

(*h*) *De morbis chronicis* Lib. V. C. VII. p. m. 579.
(*i*) p. 146.

„ dia, quæ ut plurimum ita ſunt comparata, „ ut plus incommodi adferant quam adjumen„ ti (*k*). „

De fluxu ſpermatis continuo & involuntario eadem ſuaſerunt ac contra gonorheam ſimplicem quæ venereæ ſuccedit, inde illorum recenſioni non immorabor.

Curatio ex ONANIA.

Et brevis hic ero; ſua enim reticuit remedia bonus vir. Id tantum novimus nullam illum adhibuiſſe evacuationem, & medicamenta fuiſſe e corroborantium genere; duo erant præcipua, roborans nimirum tinctura, *the ſtrengthening tincture;* & pulvis prolificus, *the prolific povvder*. Sine ſenſibili operatione agunt, ſed ditant, roborant, nutriunt partes genitales in utroque ſexu; vim novam illis conciliant, & ſeminis generationem juvant. Debilitatæ & occumbentis propemodum Naturæ præſtantiora non dantur reſtaurantia &c. (*l*). Potio eſt reſtorans de qua mira quoque prædicantur; & revera ſi fides epiſtolis quod non dubito, magni ſane momenti ſunt tria illa remedia, emptuque ſane non minus digna quam alia pleraque contra morbos & rariores & ſæpe minus ſævos. Nonnullas addidit formulas quas utiliſſimas aſſerit.

Deco-

(*k*) *Caſ.* 102.
(*l*) *Ex Onania* p. 177.

Decoctio (†)

℞. *Flor. ſiccator. lamii* (*m*) *mpl. VI.*
Rad. cyper. & galang. aa unc. II.
Biſtort. unc. I.
Oſmund. regal. unc. II.
Flor. roſar. rubr. mpl. IV.
Ichthyocollæ unc. III.
Sciſs. tus. mixt. cum aquæ Quart (*n*) *VIII.*
Coquantur ad quartæ partis evaporation.
Quart. unum quotidie potetur.

Potio eſt, quæ componitur ex aromaticis, ambra, tinctura cantharidum aliisque idgenus; & linimentum ex balſamis, oleis eſſentialibus & tincturis acrioribus: Quæ cum mihi ſtimulantia nimis videantur, nulloque probata experimento, formulas ſponte omitto.

Injectio.

℞. *Saccar. ſaturn.*
Vitriol. alb.
Alum. rup. aa dr. I.
Aquæ chal. Fabr. pint. Iſ.
Per dies X. igne aren. diger.
Add. ſpir. vin. camph. cochl. III.

Propria praxis.

Magnorum virorum conſiliis, & attenta morbi conſideratione ductus, methodum medendi ſequutus ſum nunc ennarrandam. Cauſa morbi indicationes monſtrat; laxatæ roboranda ſunt fibræ;

(†) Vid. p. 117.
(*m*) Speciem non apponit, *Lamium* procul dubium *album White archangel*, aut *lamium maculatum*.
(*n*) *Quart* Anglicum, pinta eſt Pariſina.

fibræ; amiſſæ reſtituendæ vires; ſua craſis liquoribus & imprimis fluido nerveo concilianda. Facilis videtur indicatio ignaris, qui tot dari cardiaca audierunt; *ſed ſciant iſti*, docente *Gortero*, *nos facile detrahere poſse vires corporis, ſi nimiæ ſunt, vix autem ullo auxilio nos valere amiſſas reſtaurare* (*o*). Remque facillime intelligent, qui noverunt remedia nihil eſſe niſi inſtrumenta quibus utitur Natura. *Natura autem eſt mihi aggregatum & harmonica virium diſtributio*. Quandiu ergo vires remanent, remedia variis indicationibus famulantia in actum ducunt: Ubi vero ipſæ deficiunt quis illas reſarciet. Difficultas in debilitate ex venere, augetur impoſſibilitate in uſum revocandi illa remedia, quæ in aliis debilibus citius paucis reliquis viribus parere monſtravit obſervatio, ſed quorum damna ſupra monuerunt *Boerhaavius* & *Hoſmannus*; dum enim ſtimulant illas partes quas ſopire conamur, magis damni ſic inducunt ratione ſuccedentis evacuationis ſpermaticę imo & venerearum cogitationum, quam boni, ratione tranſennalis roborationis. Vidi enim quod in iis, qui pollutionibus nocturnis debilitati ſunt, plus noceat unica pollutio denuo accedens, quam profecerant remedia per plures hebdomades. Sollicite ergo vitanda ſunt omnia remedia quæ vel leviori vi ſtimulante donata ſunt. Sed tonicorum omni irritante virtute carentium brevis eſt catalogus. Non longa itaque hæſitatio circa ſelectum; & omnia me moverunt ut tentarem duo, quæ alias in debilium morbis fauſte ſucceſſerant *corticem peruvianum* & *balnea frigida*: Hæcce in pollutione nocturna jam adhibuiſſe veteres patet ex loco allegato *Coel. Aureliani*; & pulchros ſucceſſus in morbis ex manuſtupratione teſtatur *Edw. Baynard*, qui illorum ope ſanatas vidit impo-

(*o*) *De perſpirat. inſenſib. p.* 504.

impotentias, gonorrheas, & intra quindecim dies talem debilitatem ut ſepulchro jam incumberet æger (*p*). Kinam ipſis ignotum ſuadebat pariter authoritas veterum, qui corticem quercinum jam adhibebant. Inter recentiores præſtantiſſimi aureum corticem, pro ſpecifico in morbis nervorum habere non dubitant; quid autem noſtri niſi nervoſi? *Kina* reperitur in præſcripto Illuſtriſs. *Boerhaavii*; & video nuperrime, illum fauſtiſſime adhibuiſſe Cel. *Vandermonde* curando juvenem qui poſt nimiam venerem ſeve ægrotabat; pulchram obſervationem legere cuique ſuaſor erim (*q*).

Balneorum frigidorum vim roborantem, evicerunt teſtimonia viginti & ultra ſæculorum; imo obſervare licet effectum illorum longe minus niti vi ægri, quam effectus plerorumque aliorum remediorum; hæcce enim nihil quicquam agunt niſi vivæ applicentur parti, dum e contra balnea frigida ipſi mortuę fibrę robur conciliant.

Amica eſt conjunctio kinæ, & udæ, & feliciſſime ſimul adhibentur; eædem enim vires; & unita ſanant quæ intacta reliquiſſet tota pharmacia. Præ aliis omnibus remediis optime roborant, ſed quod non datur aliis, & tanti eſt tamen in morbis noſtris, nulla fœdantur acrimonia; nullam moleſti caloris ſenſationem cient; quin imo, mordacem calorem ex acrimonia, in debilibus cito compeſcunt, gratique refrigerii ſenſum inducunt. Remediis ſtimulantibus nupta, vim irritantem infringunt, roborantem intendunt. Robur ventriculi erigunt, appetitum

(*p*) ΨΥΧΡΟΛΟΥΣΙΑ. *or the hiſtory of cold bathing.* vid. præf. p. 254. 281.

(*q*) *Recueil periodique d'obſervations de medicine* &c. *tom.* 6. *pag.* 195. In tomo 2. ejusdem operis morbus ex ſimili cauſa & notatu quoque dignus recenſetur.

tum cient, coctionem & nutritionem juvant; catharroſam ſanant diatheſim; mobilitatem compeſcunt; ſecretiones inſtaurant; omnes demum morbos ex debilitate, non incurabiles, curant; ſi modo abſint phlogoſis, vomicæ, & obſtructionum ſpecies nonnullæ. Damna ſæpe reparant quæ remedia alia inepte adhibita intulerunt.

Curandum habui juvenem, qui vix a cunabulis remotus, ſævis & continuis capitis doloribus vexatus erat; increverant uſu venæ ſectionum, purgationum, aquarum acidularum & thermalium, balneorum, juſculorum, aliorumque ſub variis formis tentatorum farragine. Quandiu aderat paroxiſmus cephalalgiæ, aberat appetitus. Suaſi balnea frigida & kinam. Mox frequentia & ſęvities paroxiſmorum ita remiſerunt ut fere perfectam ſanationem crederet æger: Deſertis remediis, rediit morbus ſed longe mitior, & eorundem remediorum repetitione, ineunte vere. D. D. perfecte ſanandus. Integerrimus ſed diſſitus amicus, premebatur a pluribus annis, anomala arthritide, quæ ſæva ſimptomata circa faciem ludebat, infirmamque valetudinem efficiebat. Plura remedia, inter quæ, calidiſſima aromata hiſpanico vino infuſa, damnoſe expertus erat. Tandem accerſitus, decoctum ſuaſi corticis peruviani & camemeli, cujus uſu ſanitatem brevi recuperavit. Plures ſimiles caſus enarrare inutile foret. Sat ſuperque evincitur vis roborans bigæ remediorum quam prædico: Sane multum maſturpatoribus profuerunt. Kinam, aut aqua decoctum, aut rubro vino infuſum uſurpavi, ultimam anteponens methodum, quoties major erat ventriculi labes: pauca & raro addidi: Singula corticis uncia, duodecim liquidi vim impertiebat, cujus doſis erat unciarum trium, ter de die. Balnea frigida ſub veſperam inire

ſuaſi,

ſuaſi, placidum enim ſomnum mox conciliant. Juvenem vidi anxia vexatum agripnia, quam excipiebant mane ſudores colliquativi, qui poſt ſextum balneum quinque obdormivit horas, ſudoreque omnino expers ſurrexit.

Magni eſt accuratæ obſtringi diætæ; ſedulo fugienda ſunt omnia alimenta quæ ventriculi vires ſuperare, aut illi laxitatem conciliare poſſent: Abſint ergo craſſa, farinoſa, caſeoſa, carnes duriores, acida, fructus, aquoſa præſertim tepida, olea aliaque idgenus; butiri damna ſat bene docuit *Onania* (*r*). Abſtinendum 2. ab illis quæ vi ſtimulante gaudent; talia ſunt condimenta pleraque, & fercula iſta quę coqui artem teſtando, magiſtri ſanitatem peſſundant: deamandæ ſimplices, cavendæ ſaturę lances. Hæc ſit verbo alimentorum qualitas, ut præbeant nutrimentum facile eliciendum, roborans, & ſtimulo carens; nec majori ingerantur quantitate, qua nihil vi ventriculi infenſius; nimis enim diſtentus, debilis diu manet, & prava eſt digeſtio, quæ in ſaturo ſuccedit. *Coitus immoderatus poſtulat cibos paucos, & boni nutrimenti* (*s*). Utilis eſt ſuccus expreſſus carnium aſſatarum, ſi pane toſto excipiatur, & addatur pauxillum ſucci citri. Proſunt ova ſorbilia in juſculo ſine coctione diluta. Carnes, aſſatæ ſemper comedantur; elixæ enim, omni vi nutritiva amiſſa, debilitant ſępe magis quam nutriunt, & earum uſu debiles ventriculi gravantur. Quo teneriores eo minus elixationem ferunt. Fuſiorem alimentorum catalogum addere, tædioſum foret, qui enim eorum vires ignorat, praxi ſatagere nequit.

Omnibus requiſitis gaudet lac; ſed hoc eſt hujus vitium ut debili ingeſtum ventriculo ſpontaneam ſequens alterationem, in duas abeat par-

(*r*) *Pag.* 55.
(*s*) *Sanctorius ſect.* 6. *aph.* 22.

partes, caſeoſam quę obſtruit, ſeroſam quę debilitat: inde raro pro votis ſuccedere obſervaverant egregii viri: tamen, cum par illi non habeamus, niſi præter ventriculi debilitatem inſuperanda adſint impedimenta, omni opera tentandum eſt num remedia dentur quorum co-uſu damna pręcaveri, virtutes conſervari poſſint, & ſane fauſtæ obſervationes animos erigunt.

Ipſius corticis uſus vias lacti optime ſternit; dum enim vim digeſtivam ventriculi intendit, & acida obtundit, mire corruptelam arcet. Optime reſtitui anno 1753. nobilem advenarium, qui meretrici ultra modum deditus, venereas vires ita peſſumdaverat ut nullum virilitatis teſtimonium edere poſſet; languebat quoque ventriculus, & defectu nutritionis ac ſomni admodum macilentus erat. Sexta matutina propinabam ſex uncias decocti fortiſſimi kinæ cui inſtillabatur cochlear unum vini Canarini; poſt horam, uncias decem lactis caprini recentiſſime mulſi & ſacaro inſperſi cum aquæ naphæ unc. 1. ſorbillabat. Prandium erat ex pullo gallinaceo aſſato, frigido, pane, & ciatho uno vini ſequanenſis optimi, pari aquæ quantitati remixto. Sexta veſpertina kinam denuo deglutiebat; poſt ſemihoram frigidum balneum intrabat in quo per decem minuta morabatur, egrediens, lectum ſubibat; lactis alteram doſim cui ſorbile diluebatur ovum octava aſsumebat; nona per horam ſurgebat. Hæc fuit remediorum efficacia, ut dum cubiculum poſt octavum balneum intrarem, eo gaudio quo *Pithagoras* ευρηχα, exclamaverit æger *erexi*. Intra menſem vires propemodum reſtitutæ erant.

Si cortex vetatur, en aliud adeſt egregium remedium, cujus uſu belle reparatur dejectus ventriculi tonus, juvaturque lactis coctio & diſtributio aquæ nimirum chalibeatæ, quas lacti

cti tam fauſte, vera illarum natura detecta, maritarunt medici nonnulli, & præſertim Fr. *Hofmannus*, quem, mixturam illam in noſtro caſu ſuaſiſse, jam vidimus. Ter adhibui & ter ultra ſpem ſucceſſit. Nec hic obliviſcendum curationis *amabilis illius Ducis*, *qui extra matrimonium ſe poſuerat*, non manuſtupratione certe, *& quem intra illud repoſuit* Ill. *Boerhaavius uſu aquarum ſpadanarum cum lacte* (*t*): Et verum eſt aliis omnibus usquedum notis, roborandi ſcopo, palmam præripiunt ſpadanę.

Aliquot cochlearia fortis infuſionis menthę, vel pilulæ ex extracto aquoſo kinæ & maſtice, bene quoque lactis corruptelam & damna præcavent. Maſtice propria vi commendari meretur, lene eſt enim tonicum ſtimulo carens. Sed præcipua cautela dum lacte utitur, ſine qua nihili ſunt aliæ, & quæ omnium fere aliarum loco eſſe poteſt, hæc eſt, ut pauca & ſelecta alimenta uſurpentur.

Lac fœmininum, quod alia omnia vi roborante vincit, ſi modo nutrix ſana, nec nimis animali diætæ & deſidi vitæ indulgens, nundum expertus ſum: nec omnis abeſt metus, quin adhibendi methodus, e mammis enim ſugi debet ſua haberet pericula, vasque magis lubricitatem cieret, quam liquor vires reſtauraret; cautum reddit hiſtoria quam nobis conſervavit *Capivaccius*.

Demum ſi nulla arte lacti aſsueſcere poſſit corpus, ſpem non fraudabit *Alrab Arabum* ſeu lac ebutiratum noſtrum; illud fauſte ſuaſi juveni qui hypocondriaca labe immunis non erat; bilioſis tuto & jucunde uſurpatur; imo ipſi lacti longe anteponendum venit quoties calor moleſtus, febricula, ereſipelatoſa labes abſunt;

&

(*t*) *Supplement a l'ouvrage de Penelope* Ch. I. pag. 35. Si verbis denegatur fides, remedii efficaciam, & virium reſtitutionem teſtabuntur hoſtes *Galliæ*.

& optimam præbet medelam ſi nimia venus cito acutum & phlogiſticum morbum inducit. Huc enim ſummopere nocerent tonica, periculo non vacat cura debilitans ut teſtatur obſervatio Cel. *Vandermonde* & ut multoties vidi; ſed egregie ſuccedit lac ebutiratum modo pinguedine omnino orbum; temperat enim, reſolvit, nec vires detrahit, quæ tam cito in hiſce caſibus amittuntur ut vix crederet inexpertus. Conſonant apprime obſervationes Clar. *Gilchriſt* qui parum favet lacti in phtiſi, plures vero laudes tribuit lacti ebutirato (*u*).

Potus parcus eſſe debet, tum noſtris tum & omnibus debilibus. Optimus eſt ex aqua chalibeata & vino rubro; ſeligenda Burgundica aut novo caſtellenſia; fugienda rhenana quæ acido ſcatent, aut alia alba, diuretica nimis, parcius tonica, & ſæpe nervis infenſa.

Nocivas eſse evacuationes, monere fruſtraneum crediidiſſem, ni docuiſſent nuperi caſus illas in uſum aliquoties trahi. Cordate ergo moneo, nullo prodeſſe poſſunt nomine ſed pluribus certo nocebunt. Tabidi ſunt ægri noſtri & ſanguine carent; ſanguinem ergo ſi demas citiorem virium ruinam induces: & egregium eſt monitum Cel. *Gilchriſt omnes guttulæ ſanguinis in tabidis pretioſæ ſunt; aſſimilans enim virtus amiſſa eſt, nec magis eſt ſanguinis, quam quod requiritur pro debiliſſima circulatione* (*x*).

Bonos humores ſi ſuperſint non minus eliciunt purgationes quam V.S. vim præterea ſiſtematis gaſtrici deſtruunt ſicque digeſtionum vitium augent. Aliarum evacuationum noxas adducere inutile foret, addere vero lubet monitum viri magnæ authoritatis Illuſt. *T. Lobb*. *In corporibus, quorum fluida illam non excedunt quantitatem qua viget ſanitas; ſi aliquid detrahas,*

(*u*) *On ſea voxage p.* 119.
(*x*) *Ibid. p.* 117.

has, V. S. purgationibus, vel aliis evacuationibus; minues neceſsario vires, turbabis ſecretiones, & plures adduces morbos (*y*).

Et hæc ſunt præcipua quæ de curatione morborum ex nimia ſeminis deperditione dicenda habeo; deſertam viam tutiorem aliis eſse, ſuadere utinam poſsem; lapides omnes monſtrare faſtidioſum eſſet, velim enim neminem illam intrare, qui medice gradi neſcit; unicam addam obſervationem quæ docet vim egregiam balneorum frigidorum, & methodum adhibendam dum kina abſtinere cogimur. Juvenis viginti circiter annos natus, bilioſæ gentis, vix duodecennalis nebulone ſocio fœdam doctus erat praxim & ſępe ſeſe ſtuprarat. Macilentia inde, debilitas, attonita facies & puſtulis fœdata. Epidemica bilioſa febre detentus fuerat ante triennium, & licetſi mitior fuiſſet morbus diuturno languore preſſus remanſit. Anno 1756. extra patriam dyſenteriam expertus eſt; redux, vere anni 1757. novam febrem bilioſam, ſed priori longe ſæviorem denuo incurrit, tædioſamque adhuc convaleſcentiam. Debilitas, facies pallida & puſtuloſa remanebant: ſuaſi balnea frigida, tum pulverem ex cremore tartari, limatura martis, & cinnamomi pauxillo, ſicque intra ſex hebdomades, robur usquedum ignotum acquiſivit, cujus durationem promiſi modo & ipſe promiſſis ſtaret. Sed metus eſt ſemper, ne anima turpibus ideis diu dedita honeſtioribus vix libare poſſit, ſicque diruat quicquid boni præſtant remedia. Supereſt ut breviter in nocturnas pollutiones inquiram.

(*y*) *A letter shewing what is the proper preparation of perſons for inoculation* §. 4. ad calcem compendii, *of the practice of phyſick*, conferri debent omnia alia ejusdem authoris opera, ubique enim ſevere demonſtravit damna V. S. quoties abeſt plethora.

Pollutiones Nocturnæ.

Sic conditus eſt homo, ut dum ſopiuntur externi ſenſus, ſæpe menti obverſentur ideæ quas olim transmiſerant. Talis quoque genitalium cum cerebro conſenſus, ut ſtimulata ideas ſui generis moveant nihil turbato aliorum ſenſuum torpore: & viciſſim, mens venereis obſita cogitationibus, veſiculas ſeminales & penim in conſortium ducit, toto jacente corpore. Optime inde intelliguntur variæ pollutionum ſpecies.

Prima eſt ex redundantia ſeminis, in juvenibus euſarkis, vegetis, caſtis; quando enim copioſo ſemine titillantur veſiculæ dum dormiunt aliæ partes, mens quæ nullis avertitur ideis, ſicque vividius afficitur nec de effrenibus compeſcendis motibus cogitare poteſt, voluptate omnino capta, veram ſomnians venerem, mox ejaculationem ciet, quæ modo non frequentior, damna vix infert, imo prodeſſe poteſt; ſua enim incommoda habere nimiam ſpermatis coacervationem vix omnino negare licet. Negaverunt tamen medici nonnulli, qui propriis tantum obſervationibus fidem facientes, in dubium vocant quicquid non viderunt. Sapientiores alii fatentur, ſe tales non vidiſſe morbos, ſed alienæ non diffidentur experientiæ. Tertii demum illos obſervarunt; & chorum ducens *Galenus* virum memorat & fœminam copioſiori laborantes ſemine, quos ſanavit ejaculatio (z), ibidemque incredulos ſic alloquitur. *Quibus nequaquam perſuaderi poteſt, exiguum ſuccum in una parte contentum, tantorum accidentium, quæ univerſo corpori accidunt, eſſe cauſam, ii omnino immemores eſſe videntur co-*

(z *De locis affectis Lib. VI. Cap. V. oper. omn. t. 4. p.* 153. 153.

eorum quæ quotidie contingunt. Etenim a Phalangii ictu totum corpus affici videtur, exiguo veneno per minimum foramen injecto. Vidi ipſe Monſpelii, fœminam viduam, fere quadragenariam, frequentiori quondam coitui deditam, quæ vehementes hyſtericos inſultus patiebatur cum ſenſuum plena extinctione; nec ulla arte liberari poterat niſi forti frictione virginalis, quæ ejaculatoriam concuſſionem ciebat & ſpermatis copioſi emiſſionem, recuperatis ſimul ſenſibus & ſoluto paroxiſmo. Juſſit Medicus quidam, ex illis qui famam immeritam conſequuntur, ſaphenæ ſectionem, quam tanta excepit hemorrogia uterina, ut in vitæ periculum conjiceretur. Colloquendo cum docto & ſeni medico qui *Auſtriaca* caſtra in *Italiâ* diu ſequutus erat, narravit vir egregius, plures milites qui non maritati caſte vivebant, ob copioſius genitum ſemen quam in frigidis Germaniæ provinciis, epilepſia correptos fuiſſe, alii priapiſmo, alii pollutionibus vexabantur. Pro vero ergo aſſumi poteſt morbos aliquoties oriri ex ſpermatis copia (†); ſed rara certe, nec omnium dierum avis; facillime prꝥterea diæta præcaveri poſsunt ut infra patebit; & ut jam ajebam, illos arcet, ſui diligens Natura, nocturnis pollutionibus. Si raræ, neceſſitate tantum excitatæ, nullamque virium labem relinquentes, nullam medelam poſcunt. Si vero paulo frequentius ſuccedunt, metus eſt ne vi conſuetudinis, ut ſæpe evenit, crebriores quam opus factæ, debilitatem demum & connexos morbos generent. Lex eſt enim indita, ut in machina humana motuum facilitas ſequatur illorum repetitionem; ita ut

M 2 motus

(†) Idem Dr. *Jaques* quem tuitum anno 1720 nobilitatem ſpermatis diximus, quærebat anno 1722: *ex negato veneris uſu morbi?* Lepida & inanis diſſertatio.

motus ſæpe citus, vel ex leviſſima deinceps cauſa imo ſponte cieatur. Lex magni ſane momenti in œconomia animali nec pro dignitate hucusque perpenſa, dum vix noverim hic medice commendandos præter *Galenum* (*a*) & Ill. *Maty* (*b*), quorum neuter ſibi aſſumpſit rem penitus explanare. Sed ut ut caligines omnes circa modum non ſint evanidæ, ſtat obſervatio. Novi ſaltatricem Lugdunenſem quæ caſu vulnus circa mammam ſiniſtram acceperat; Chirurgus imperavit diętam & venereum jejunium; poſteriori obtemperavit juſſo, prius omnino neglexit; tertia nocte pollutionem patiebatur, quæ pluries deinceps ſingula nocte recurrens, adduxit intra duodecim dies marcorem & lumbaginem. Leve vulnus parum interim detrimenti experiebatur, & ad ſanationem properabat. Chirurgus firme praxi ſuæ addictus coitum vetabat, ſanguinem detrahebat & alvum repurgabat; Pertæſa & languida ægra miſſis chirurgo & remediis brevi ſanata eſt. Cavendum ergo ne nimis contemnatur initio morbus vix deinceps eradicandus, & longe magis expedit neceſſitatem illius præcavere, non nocivis V. S. & purgationibus, ſed vitæ inſtitutione & alimentorum ſelectu. Opipara enim menſa, & deſes vita venereis inſomniis valde favent, tum ſpermatis quantitatem augendo tum & mentem venereis ideis paſcendo.

Otia

(*a*) *Libro de aſſuetudinibus oper. omn. t. 2. p.* 135.

(*b*) *Diſſertatio de vi conſuetudinis in corpus humanum*. Metaphyſice legi poſsunt Imm. *Locke Eſſay* &c. Lib. II. Cap. XXXIII. ſagax *Condillac Traitè des animaux part. 2. Cap. II. & IX.* Anonimus Author, *Elements de Pſycologie* Cap. LXI. LXII. Novi virum, qui, ante viginti annos incendii tumultu hora prima matutina expergefacto, numquam abhinc defuit evigilatio eadem hora.

Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus
Contemptæque jacent, & ſine luce faces.

Remediis ſemen extinguere nuncupatis parum fidendum eſſe didici obſervatione.

Secunda ſpecies eſt pollutio hypocondriacorum, quam morbidam ſane dices. Obnoxii ſunt tum hypocondriaci, ut vocant, *ſine materia*, quos hyſtericos quoque diceres; ſanant tonica: tum hypocondriaci cum materia, quibus paulatim immorandum. Difficilis iis circulatio, præſertim in abdomine, irritandi facile nervi, & acres continuo irritantes humores. Eadem ergo cauſa qua ſtagnatio humorum hæmorroides ad anum & varices ad crura generat, ſic & genitalium irritationem, quam voluit Deus venereas ſequi ideas. Pollutiones illorum memorat *Boerhaavius*, *verum eſt in ſomno ſemen effluere. Sed eo tempore animæ ludibria venerea ſemper obverſantur. Hæc vero gonorrhea in litteratis diligentiſſimis, & lienoſis hominibus, non rara eſt, & ſæpe tanta ſeminis effuſio fit ut atrophia ſequatur* (*c*). Graphice quoque depicta legitur in operibus *Hofmanni* & jam ex illo monui curationis difficultatem. Difficilis eſt ſane & periculoſus morbus, numquam enim niſi detrimento ſuo ſemen ejicit hæc gens hominum; inde pollutio morbo cita, morbum ſemper auget. Primarius præcipue reſpiciendus ſuiſque ſanandus legibus. In pejus ruerent omnia ſi dum vigent adhuc abdominales infarctus, kinam ſuaderes aut lac; ſed utiliter adhibentur ſucci chicoracei, extracta aut condita ejuſdem generis, lac ebutiratum, tum deinceps aquæ chalibeatæ, & reſeratis optime obſtructionibus, reliquias hypocondrialgiæ & pollutiones optime ſanant balnea frigida; non excidat enim memoria clinici, hypocondrialgiam cum materia curatam, ſem-

M 3

(*c*) *Prælectiones in propr. inſt.* §. 766.

ſemper nervos debiles relinquere, quibus ni medearis palliatus tantum erit morbus: inde tonica vigente morbo nociva, fauſte deinceps uſurpantur, hicque ut & toties alibi præſtantiſſimum remedium præbet numquam ſat celebrandus cortex ille Peruvianus, quo nos carere Deus avertat. Chalibi illum maritare prodeſse poteſt. Sed nihil proficietur niſi moveatur corpus, vires enim remediorum prorſus infringit vita ſedentaria; mens hilaris ſervanda; protractiores cavendæ meditationes, & interdiu venereæ cogitationes. Stricta ſit diæta; abſint preſertim flatuoſa illa alimenta *Pithagoræ* oſa, quæ, pro tempore ſanum hominem hypocondriacum reddunt ſicque ſalacem, ſimulque mentem turbant, 1. circulationem alterando, 2. quia dum pars una ingrate afficitur patiuntur omnes aliæ, abdominique compatitur præſertim crebrum; quotidianis docemus obſervationibus aliter cogitare pranſum & inpranſum hominem, & qui pollutionibus nocturnis vexantur nimis cauti eſſe nequeunt in vitanda alimenta quæcumque quæ venereos ſtimulos ciere poſſunt; magna enim eſt vis alimentorum & potulentorum, jactantiaque caret pulchrum *Galeni* promiſſum huc optime faciens. *Ergo nunc quoque veluti reſipiſcentes ii, qui vi alimenti hos modeſtiores fieri, illos protervиores, quosdam nequiores, alios temperatiores & audentes, & ignavos & manſuetos, & lenes, & pervicaces fieri poſſe ægre concedunt, accedant ad me, quibus veſci, quæ bibere eos oporteat edocendi. Nam & ad moralem philoſophiam proficient plurimum, & partis ratiocinatricis facultates ad virtutem provehent &c.* (*d*). Nemo neſcit cereviſiam inducere ſæpe ſevam erectionem &

(*d*) *Quod animi mores corporis temperaturas ſequantur.* Cap. IX. *Oper. tom.* 1. *p.* 1230.

& gonorrheam, quæ optime probat vim venereamalimentorum flatuoſorum.

Huic pollutionum ſpeciei affinis eſt morbus qui furor genitalis dici poteſt, graphice *Galeno* deſcriptus mihique non prætervisus. *Sane*, inquit, *peſſimus corporis ſtatus eſt ille; ſunt enim qui genitale ſemen copioſum calidumque gignunt, quod eos ad expulſionem ſui proritat: poſtquam & ventris os illis reſolvit, & ipſi toto corpore non ſolum relaxantur, imbecillique fiunt, ſed etiam ſicci, graciles, pallidi, caviſque oculis cernuntur* (*e*). *Quod ſi propterea quod ex concubitu ſic vexantur ab hoc ſe retrahant --- non magnopere continentia juvantur, accidunt enim ipſis per nocturnas veneris imaginationes non minora incommoda iis quæ a concubitu ſenſerunt*. Sic curationem ſubjunxit, *horum cum quidam mordax præcalidumque ſemen inter emittendum, ſentire non ſolum ſe, ſed etiam mulierem cum qua rem habebat referret: Suaſi abſtineret a cibis qui ſemen genitale augerent: ſumeret autem cibos non modo verum etiam medicamenta quæ id extinguerent, tum vero exercitationibus uteretur quæ ſupernas partes potius exercerent: ---- a balneo vero lumbos totos ungeret unctione quapiam frigida ex cera & ſucco aliquo eorum qui refrigerent. ----- Quorum obvii maxime ſunt & ſemper vivi, & ſolani, & umbilici veneris, & pſylii, & poligoni, & tribuli, & portulacæ* (*f*). Laminam plumbi renibus impoſitam profuiſſe memorat ibidem.

Vidi morbum in viro qui a viginti quatuor annis

(*e*) Qui modum quo nocet nimius & præmaturus coitus breviter & bene expoſitum legere cupit, adeat ſi non arrident ſuperius expoſita *Clifton Vvintringham de podagra* p. 85. 86. 90.

(*f*) *De ſanitate tuenda Lib. VI.* Cap. XIX. *oper. t.* 2. *p.* 397.

annis illo premebatur ; ſæpe pluries de die concumbit , & talis eſt ſtimuli vehementia ut furore quaſi percellatur , nec integra die, tam longa periodo, fœmina vel ſaltem ejaculatione carere potuit. Tenue , acre, ſterile ſemen , promptiſſima ejaculatio . Debilitas nervorum, hiſterici melancholici inſultus, mentis fractæ vires , auditus gravitas , oculorum teneritudo infelicem vexant. Medelam non præbui, plures alias periclitatus eſt; nocuerunt pleræque imprimis quæ deſumptæ ſunt e calidiorum nervinorum claſſe ; ſolatium præbuit cortex Peruvianus vino infuſus quem ſuaſerat Ill. B. S. *Albinus* cujus authoritate niti glorior; firmiterque credo ſucceſſiſſe integram ſanationem, ſi protractiori uſui balnea frigida addidiſſet: Sed rarum morbum, alias videre, aut curandum habere non contigit. Affinis memoratur obſervatio inter conſultationes *Hofmanni* (g).

Tertia pollutionum ſpecies illa eſt quam incurrunt ii qui aliquandiu aut coitui nimio, aut fœdis pollutionibus dediti , ſubito reſipiſcunt. Intelligitur facillime hæc cauſa ; exemplum præbent ſaltatrix Lugdunenſis , & mox adducta ex *Galeno* hiſtoria. Sponte patet ex prædictis curatio.

Gonorrhea ſimplex.

Gonorrhea, inquit *Galenus* qui veneream non noverat, *eſt ſeminis excretio invita, quam involuntariam quoque nominare licet . Sed ſignificantius dixeris , ſeminis aſiduam excretionem cole haud quaquam extento* (h). Similem morbum plu-

(g) *Conſult. Cent.* 2. & 3. *Caſ.* 36. *oper. t.* 3. *p.* 214.
(h) *De locis affectis* Lib. VI. Cap. VI. *oper. t.* 4. *p.* 160.

plures, tum e priſcis tum e recentioribus memorant, illum inter res dubias reponi. *Boerhaavius*, *legitur in ſcriptis nonnullis medicis, aliquando ſemen ſponte abſque ſenſu effluere, ſed rariſſimum hunc morbum eſſe oportet, & numquam vidi ſemen effuſum fuiſſe abſque tentigine venerea, non certe ſemen verum in teſte ſecretum, & in veſiculis adſervatum, licet proſtatarum liquorem effluxiſſe viderim* (*i*). Si propriis fides obſervationibus, datur uterque morbus. Viros vidi plures qui poſt virulentam gonorrheam, poſt nimium coitum, aut maſtuprationes continuo effluxu genitalis liquoris abſque ulla tentigine venerea premebantur: Nec impares tamen ſubinde erectioni & ejaculationi: imo vidi illos longe magis debilitari unica ejaculatione quam amiſſione omnis liquidi quod per quindecim dies aut ultra effluebat. Vix ſane credet quiſque iſtos vera ſpermatica gonorrhea laboraſſe; liquorem illum præbebant & proſtata, & paucæ aliæ glandulæ urethræ adnatæ, & folliculi, & ipſa demum expirantia vaſculum laxitate dilatata; idem morbus cum fluore albo mulierum; morbus tædioſus, difficilis & periculoſus, debilitat enim ſenſim, & demum morborum catervam adducit, nec alius forſan datur quo plures langueant & demum, ni caute ſanetur, intereant mulieres.

Novi alios qui ſimili fluxu laborabant, ſed & longe magis debilitabantur & omni erectioni imo venereæ titillationi & ejaculationi impares erant, licetſi adeſſent teſticuli nec omni ſecretioni inhabiles viderentur. Vix dubium videtur quin iſtis verum teſticulare ſemen in ſcie effluxerit; & qui genitalia inſpexit, apprehendet facillime laxitatem glandularum folliculorum, aut vaſorum expirantium morbum

(*i*) *Prælect. ubi ſupr.*

bum eſſe neceſſario longe frequentiorem, quam veſicularum ſeminalium reſolutio integra ſed & hanc poſſibilem eſſe ſane non diffitetur.

Novam hic non habeo medelam; vidi balnea frigida præ cæteris omnibus optime ſucceſſiſſe & conſonat obſervatio E. *Baynard* jam excitata. Medicamenta interna ex anterioribus deſumes, primaſque partes tenere kina ut ſuadebat ratio probavit experientia. Adſtringentes injectiones, œconomiæ animalis gnarus quiſque metuet, periculum eſt enim ſummum emiſſaria obſtruere dum remanet fluxionis cauſa, qua ſanata, inutilia fiunt adſtringentia; hæc ergo numquam prodeſſe poſſunt: Sed tutiori & ſæpe egregii ſunt uſus fotus roborantes. Formulas cujus vires aliquoties expertus ſum addere inutile videtur, cum ſimiles ubique reperiantur, aut quiſque facile effingere poſſit: ſimilem habet F. *Hofmannus* (*k*).

Silva Monitionum.

Nimia ſpermatis emiſſio vires corporis omnino peſſumdat, & omnes ſæviores morbos quos ſecum trahit debilitas, generat.

Pollutiones manuales damna illa longe citius adducunt quam naturalis coitus; & illa ſeminis amiſſio quæ concubitu cita vix debilitaſſet, peſſimas trahit infirmitates manu educta.

Vi conſenſus inter genitalia & cerebrum, debilitas ex nimia ſeminis ejaculatione mentem admodum infirmat, & labem præſertim illi inducit manuſtupratio; *inde juvenes qui fœdo moi libant, inſigne memoriæ ingeniique detrimentum ſentiunt, & ad ſtudia redduntur inepti* (*l*).

Vetuſtus aut gravis morbus numquam ſanatur;

(*k*) *Tom. III. p.* 214.
(*l*) *Ibid. p.* 295.

tur; initio & ſi numdum gravior labes, medelam præbent remedia quæ tonum ſolidis reſtituunt ſine ſtimulo; palmam cæteris præripiunt balnea frigida & cortex peruvianus.

Juvenes vegeti, valentes qui eupepta & calefaciente diæta utuntur, caſtamque ducunt vitam, gravari poſſunt redundantia ſeminis; ſed rariſſimus, hodie præſertim morbus tuto & cito præcavetur diæta ſimplici.

Peſſime ſæpe errant qui omni languidæ puellæ matrimonium ſuadent; vegetis prodeſt, debilibus ſæpe nocet, & pauciſſimæ ſunt illæ quas ſanavit. Si juvat, juvat aut copioſius educens ſpermaticum humorem, aut ſuppreſſionem menſium reſerando: rarus primus caſus; in ſecundo non ſemper tutum eſt remedium; & ut V. S. pedis, quod initio profuiſſet, nocebit ſi alte radicatus morbus cacochimiam jam generavit. Inepte credunt, omnes coitum ardere, illoque voluptate perfundi, dum e contra, pallidæ, languidæ, debiles, ægrotantes, cacochimæ, vix ullo venereo gaudio fruuntur; nihil ergo boni ex concuſſione amatoria qua carent; ſed multum mali ex ſubſequente graviditate. In genere, valeat quæ init matrimonium.

Decubitus ſupinus quem tamen deamant debiles nocet pollutoribus nocturnis, notante jam ſupra *Coelio Aureliano*; 1. quia viſcerum & inteſtinorum pondere compreſſæ venæ majores ſanguinem difficilius traducunt. 2. Quia lumbares muſculi compreſſione calefacti & refrigerio carentes calorem omnibus vicinis vaſis impertiunt, ſic rareſit ſanguis in vaſis genitalibus, novus inde ſtimulus.

Molliora lecta ſedulo vitare neceſſum eſt; damnandæ culcitæ ex plumis aut lana; nec adhibendæ niſi quæ tomento aut palea conficiuntur: profuit pluribus talem culcitam te-

gere

gere corio ut omnis calor præſcinderetur.

Novi juvenem qui pollutionibus nocturnis mulctatus ſuaſu barbitonſoris cubitum eundo ciathos aliquot aquæ calidæ devorabat. Quid inde, incubus quo aliquoties jam mulctatus erat frequentior evaſit & mox quotidianus, nec quicquam remiſerunt pollutiones; quin imo ſingula nocte incubo preſſus, fœminam pectus prementem & ſimul concumbentem ſomniabat; conjunctis utriuſque morbi damnis, placidique ſomni defectu, ad tabem cito properabat. Suaſi pro cœna panem & fructus crudos; lectumque ſubeundo, ciathum aquæ frigidæ cum quindecim guttis liquoris anodini mineralis *Hofmanni*, tranquillæ noctes ſanitatem mox reſtituerunt.

Cavendum eſt ne in debilibus frequentiorem ſtimulum refrigerantibus compeſcere conemur; oritur enim ex debilitate nervorum, & roborantia poſtulat.

Vir probus Italus qui de alio conſulens morbo, me fideliter docebat quidquid paſſum erat corpus, narravit ante quinque annos, quod dum quondam laborabat frequentibus pollutionibus quæ vires conſumebant, fortiter ante ſomnum voluerit e lecto exilire ſimulac appareret phantaſmatica fœmina; voluntati ſtetit mens, & idea periculi excitata fœminæ conſpectu, illum evigilavit ſicque pollutionem præſcindit: utilem obſervationem ille intelliget qui hiſtoriam ſomniorum, & conſuetudinis vim accurate perpenderit.

Ægris ſuis optime conſulunt qui eos ruris ablegant omniumque fœminarum conſortium vetant.

Pauca ſunt ſimptomata quæ ſpecialem poſtulent medelam, ſi enim ſanatio poſſibilis, ſanantur cura generali; ſi hæc deficit quid proderit ſpecialis ſemper debilior? Amicam utriuſque unio-

unionem optime docet Ill. *Gorterus*, *amauroſim ex nimia venere, generatam tardiori ſpirituum fluxu, vel eorum defectu, aliquoties curavi roborantibus internis, & naſalibus cephalicis, leniter ſtimulantibus externis, ut major ſpirituum fluxus fiat verſus nervos opticos* (*m*). Tonicorum applicationem requirere genitalia jam dixi; caſum vidi qui emollientia applicare neceſſe coegit; juvenis ſexdecim annos numdum natus, eo furoris devenerat ut tandem ſanguinem pauco ſpermati mixtum manus educeret; ſuccedebant dolores & inflammatio genitalium, caſu ruris degens conſulebar, molliſſimum cataplaſma dolores & inflammationem fugavit: audivi variolas illum paulo poſt ſuſtuliſſe diriori quam quotidie arceſſebat morti; nec dubito quin pudenda praxis variolas lethales reddiderit.

Scelera ſunt quæ tarda ſequitur pœna, & hac non carere maſtupratores demonſtratum eſt; ſed præterea cito & acerbe mente corporeque plectuntur, turpitudine notantur, omni privantur excuſatione & ſolatio, imparia ſunt ſæpe auxilia, nullum ergo datur crimen quod cautius vitare debeat quicumque nondum deſipit.

F I N I S.

(*m*) De Perſpirat. inſenſ. p. 514. 515.